DE BARBARISMO ET METAPLASMO QUID ROMANI DOCUERINT.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE
REGIMONTANO

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

WILLY OTTO NEUMANN
REGIMONTANUS

REGIMONTI
EX OFFICINA HARTUNGIANA
MCMXVII

Gedruckt mit Genehmigung
der Philosophischen Fakultät der Kgl. Albertus-Universität
zu Königsberg i. Pr.

Referent: Professor Dr. Meister.

IOANNI TOLKIEHN

S.

De barbarismo et de metaplasmo quid Romani tradidissent, cum nondum satis perspectum esse a viris doctis cognovissem,[1]) me nonnihil litterarum Latinarum studiis profuturum esse speravi, si huic loco ad historiam grammaticae antiquae pertinenti pro mea parte satisfacere conatus essem.

Ac primum quidem artis vocabula perlustrabo, deinde expediam, quid esse putaverint Romani barbarismum et metaplasmum, et quomodo uterque factus sit, tum exempla quae in hoc genere afferuntur diligenter examinabo.

Sed priusquam ad rem propositam aggrediar, de fontibus, quibus in hac commentatione usus sum, paucis mihi exponere liceat.

Eorum, qui ante Cornificium de barbarismo et de metaplasmo egerunt, libros perisse valde dolendum est. Neque vero ille rem fusius tractandam suscepit, sed breviter tantum IV. 17 quid sit barbarismus circumscribere satis habuit; quae definitio ne integra quidem exstat in codicibus qui ad nostra tempora pervenerunt. Quo factum est, ut primum omnium Quintilianum inst. or. I. 5,5—33 hanc materiam non leviter attingentem

---

[1]) Huic rei maximo nimirum documento sunt ea, quae nuper Ioannes Tolkiehn Woch. f. kl. Phil. 1915 p. 244 protulit. cf. et huius dissertationis p. 58.

animadvertamus. Quamquam dubitari non potest, quin nonnulla ex vetustioribus ad nos redundaverint fontibus. Ex grammaticis enim, quos Henricus Keil collegit, Charisium I. p. 265,2—266,14 (de barbarismo) p. 277,25—279,21 (de metaplasmo) praeter Cominianum, quem ipse laudat, Remmium Palaemonem ad verbum exscripsisse Joannes Tolkiehn probabiliter exposuit.[1]) Utrumque Charisii fontem a Diomede I. p 440,28—443,4 (de metaplasmis) p. 451,22—453,19 (de barbarismo) esse commixtum respecta arte Donati IV. p. 392,5—393,4 (de barbarismo) p. 395,28—397,3 (de metaplasmo) iam dudum constat.[2]) Pauca quidem sicut infra demonstrabimus ex auctore adhuc ignoto addit.[3]) Donatum vero sive interpretati sunt sive exscripserunt hi grammatici:

Servius IV. p. 443,29—445,34 (de barbarismo) p. 447,22—37, ubi nonnulla de metaplasmis traduntur.

Pompeius V. p. 283,2—288,21 (de barbarismo) p. 296,4—299,18 (de metaplasmo). Julianus Toletanus V. p. 323,39—324,20 (de barbarismo). Anecd. Helv. ed. Hagen p. CCXXXV. (de metaplasmo); satis mutilata sunt ea quae de metaplasmo eorundem Anecdot. p. 267,1—268,21 e commento Einsidlensi in Donati barbarismum deprompta leguntur.

Diligentissime sane atque copiosissime Consentius V. p. 386,3—398,15 de barbarismo et de metaplasmo disserit nec neglegendum est eiusdem de scandendis versibus caput p. 399,31—404,8.

Sacerdos, cuius vestigia apud Cominianum deprehendi Tolkiehn libri, quem de hoc grammatico Lipsiae a. 1910 emisit, p. 157 demonstravit, de barbarismo

---

[1]) Woch. f. kl. Phil. 1908, p. 420 sqq. [2]) cf. Jeep, Redeteile, Lips. 18 p. 56 sqq. Tolkiehn, Woch. f. kl. Phil. 1908, p. 94 sqq. [3]) cf. Tolkiehn Woch. f kl. Phil. 1908, p.

scripsit V. p. 451,4—23, de metaplasmis p. 451,25—453,10. Praeterea fragmentum quoddam exstat V. p. 448,1—449,14 de metaplasmis nonnullis, quod ab alio additum esse verisimile est.[1])

Iam grammaticorum agmen claudant auctor de ultimis syllabis, qui IV. p. 262,19—264,16 de metaplasmis pauca congessit,[2]) et Audax, qui VII. p. 361,14—362,21 etiam pauciora legentibus proponit. Addam Isidori etym. I. c. 32 (de barbarismo) c. 35 (de metaplasmo), qui et ipse Donato usus est.[3])

Accedunt loci singuli, qui cum apud grammaticos velut Priscianum et Martianum Capellam tum apud alios scriptores velut apud Gellium Frontonem hic illic obviam fiunt, quorum data occasione mentio inicietur.

Restat, ut scholiastas, qui id vitiorum genus observaverunt, persequar. Sunt autem hi:

Servii grammatici qui feruntur in Vergilii carmina commentarii (Rec. Thilo-Hagen. Lips. 1881—1902. I—III.).[4])

Aelii Donati quod fertur commentum Terenti. accedunt Eugraphi commentum et scholia Bembina (Rec. P. Wessner. Lips. 1902—1908. I—III.).

Pomponii Porphyrionis Commentum in Horatium Flaccum. (Rec. Holder. Ad Aeni Pontem. 1894.)

Pseudacronis scholia in Horatium vetustiora. (Rec. Keller. Lips. 1902.)

---

[1]) cf. Ieep l. l. p. 74 sq. et Gerhardi Hantsche De Sacerdote grammatico quaest. sel. Regimont. 1911. p. 54 sqq. [2]) cf. etiam IV. p. 259, 4—262, 17 de productione et correptione syllabarum. [3]) cf. Manitius Gesch. der lat. Lit. des Mittelalt. Mun. 1911 p. 63. P. Wessner apud Teuffel-Kroll-Skutsch Geschichte der röm. Lit. Lips. 1913. III.^{6} p. 543. [4]) De Servio qui dicitur Danielis cf. ea quae Fridericus Lammert a. 1912 in Comment. philol. Jen. vol. IX, 2 coniecit et Tolkiehn Berl. phil. Woch. 1912 p. 1265 sqq.

M. Annaei Lucani commenta Bernensia. (Ed. Usener. Lips. 1869.)

Adnotationes super Lucanum. (Ed. Endt. Lips. 1909.)

Scholia in Persium (in editione quarta a Friderico Leo curata Berol. 1910).

I.

Auctoribus, qui primario loco sunt, enumeratis iam disseram de artis vocabulis.

Atque illud quidem non poterat obscurum esse 'barbarismum' vocem cum barbaris cohaerere, id quod conprobat Servius com. in Donat., qui IV. p. 444,4 „barbarismus autem dicitur", inquit, „eo, quod barbari prave locuntur, ut siqui dicat Rumam pro Roma."[1]) Ceterum verbum ipsum *βάρβαρος*[2]) per onomatopoeiam fictum esse primus Strabo[3]) tradidit. Vocem vero 'barbarismum' ex verbo Graeco *βαρβαρίζειν* derivatam esse commemoratur Anecdotorum ad Graecorum orthographiam pertinentium, quae edidit Regimonti a. 1905—1912 A. Ludwich, p. 74,17 „*βαρβαρίζω βαρβαρισμός.*" Quod verbum primus, quod sciamus, Plato Theaet. p. 175d = Alc. I. p. 120b. adhibuit de homini-

[1]) cf. Isid. etym. I. 32, 1. [2]) Quando ortum et quomodo paulatim eius vis mutata sit nuperrime anno 1904. exposuit A. Eichhorn diss. Lips. „*Βάρβαρος* quid significaverit." [3]) XIV. p. 662. „*οἶμαι δὲ τὸ βάρβαρον κατ' ἀρχὰς ἐκπεφωνῆσθαι οὕτως κατ' ὀνοματοποιίαν ἐπὶ τῶν δυσεκφόρως καὶ σκληρῶς καὶ τραχέως λαλούντων.*" Quod hodie quoque placet viris doctis. cf. G. Curtius, Grundzüge der griech. Etym.[5] Lips. 1879. p. 290 sq. Schepss., De Soloecismo. Diss. Argent. 1875. p. 21. Prellwitz, Etym. Wörterb. d. griech. Sprache. Goetting. 1905. p. 73. Eichhorn l. l. p. 51. A. Walde, Lat. Etym. Wörterb.[2] p. 82. E. Boisacq. Diction. etym. Paris. 1916. p. 114 sq. Ne quid omittam, E. Weidner. Glotta IV. p. 303 sq. vocabulum e voce sumerica „bar" i. e. „fremd, ausländisch" derivavisse commemoro; qua de re ut parum peritus iudicare non possum.

bus, „qui barbarorum instar Graecorum sermonem non satis cognitum habentes imprompti lingua sunt et balbutientes aut verba male pronuntiantes ipsum corrumpunt sermonem".[1]) Vocabulum *βαρβαρισμός* autem primum apud eius discipulum Aristotelem poet. 22 p. 1458a, 18 sqq. occurrit plane alia ac postea vi usitatum, cum orationem plenam glossematibus ideoque obscuram qualis exstat in Hipponactis carminibus intellegat. Iam cum ad posteriorum temporum scriptores descendimus, usque ad primum ante Chr. n. saeculum ea vox non legitur. De hac re, quod respiciatur dignum videtur esse testimonium Gellii V. 20,3 sqq. id vocabulum in idoneorum scriptorum cum Graecorum tum latinorum usu fuisse negantis „Cum Graecum autem, inquit, vocabulum sit 'soloecismus', an Attici homines, qui eleganter locuti sunt, usi eo sint, quaeri solet. Sed nos neque 'soloecismum' neque 'barbarismum' apud Graecorum idoneos adhuc invenimus; nam sicut *βάρβαρον*, ita *σόλοικον* dixerunt. Nostri quoque antiquiores soloecum facile, soloecismum haud scio an umquam dixerint." cf. XIII. 6,4: „id vocabulum, quod dicitur vulgo barbarismus, qui ante divi Augusti aetatem pure atque integre locuti sunt, an dixerint, nondum equidem inveni."

Cuius doctrinae vestigia compluribus saeculis post Etym. Magn. p. 722 inveniuntur, ubi Choeroboscus commemoratur, qui v. 10 „*σολοικισμὸς*, inquit, *δὲ καὶ βαρβαρισμὸς οὐ δεῖ λέγειν.*" Sed de scriptoribus latinis Gellium in falsam opinionem incidisse felici quodam fortunae casu demonstrare possumus. Etenim cum apud Cornificium IV. 12,17 soloecismi et barbarismi definitiones exstent, ante Augusti aetatem haec vocabula in usu fuisse efficitur. Itaque non errabimus

[1]) Eichhorn l. l., p. 51.

fortasse, si Gellium quae apud Graecum quendam scriptorem offenderat, eadem temere de Romanis dixisse contenderimus.[1])

Neque tamen quae Gellius tradidit, plane neglegenda sunt. Idem enim altero illo, quem laudavimus, loco XIII. 6, 2 sq. quomodo Romani iis quae a Graecis acceperant artis vocabulis non contenti illa in vernaculam linguam transtulerint P. Nigidii verbis allatis: „Quod nunc autem“, inquit, „'barbare' quem loqui dicimus, id vitium sermonis non barbarum esse, sed rusticum et cum eo vitio loquentes 'rustice' loqui dictitabant. P. Nigidius in commentariis grammaticis: rusticus fit sermo, inquit, si adspires perperam“.[2]) Quae an recte dicta sint cum non habeamus cur dubitemus, primi ante Chr. n. saeculi Romanos barbarismum latine sermonem rusticum appellavisse sequitur. Quod vero Diomedes I. p. 456, 1 Latine barbarismum 'dissonans' vocari testatur, quam aetatem respexerit aut unde illa repetiverit grammaticus plane obscurum. Prorsus vero ineptum est, quod exstat Corporis Glossariorum Latinorum vol. II. p. 255,53 „*Βαρβαρισμος* hae grecolatio“ (cod. e. graecolatino) p. 494,71 „Greculatio (codd. a e. graecatio) *βαρβαρισμος.*“

Iam ad ea transeamus vocabula, quae licet non idem significent, tamen cognatione quadam cum vocabulo barbarismi coniuncta diligenter ab hoc distinguenda sunt.

Quorum gravissimum est 'metaplasmus', quod apud Romanos quidem primum occurrit in Festi fragmento quodam satis mutilato p. 138 (Thewrewk-Lindsay).

---

1) Vel maxime cavendum, ne e loco Gelliano argumentum petatur ad sententiam Regii et Friderici Marx (p. 61) de libris rhetoricis ad Herennium datis comprobandam. cf. L. Jeep, Deutsche Literaturz. 1897. p. 492. 2) cf. Prisc. II. p. 27, 8. „quae tamen a iunioribus repudiata sunt, quasi rustico more dicta.“

„Metaplasticos dicitur apud p. . . . . quod propter necessitatem metri . . . . quod idem barbaris[mus dicitur in solu]ta oratione conscrib[enda] . . . . Meta . . . .“ Quem Graecorum terminum quamquam Romani unum fere adhibuerunt, tamen duo vocem latine versam tradiderunt. Atque apud Diomedem quidem loco quem modo attulimus scriptum videmus „metaplasmus t r a n s f i c t i o dicitur“. Simili ac Diomedes modo Isidorus Etym. I. 35,1 graecum vocabulum latine interpretatur scribens „Metaplasmus Graeca lingua, latine t r a n s f o r m a t i o dicitur“.

Hic videtur dignum esse quod animadvertatur scholiastis certe vocem metaplasmum minime acceptam fuisse, cum nisi Donati comment. Terent. I. p. 181,10 „per metaplasmum συγκ πήν“ non legatur. Immo plerumque voce ‘figura’ utuntur,[1]) quam grammatici ad soloecismum[2]) sive schema,[3]) qui dicitur soloecismus in versibus pertinere volunt, neque a figuris proprie dictis discernunt.

Restat, ut vocabula ‘barbarolexis’[4]) vel ‘barbaros lexis’[5]) vel ‘barbara locutio’[6]) commemorem, quae idem significantia nisi apud grammaticos fere obviam non fiunt.

Quae ad artis vocabula spectat quaestione ad finem perducta corollarii loco nonnulla mihi addere liceat de elocutionibus quae eodem pertinent.

[1]) cf. Victor. VI p. 67, 9, qui et ipse voce figura eadem vi utitur. [2]) cf. Diom. I. p. 456, 2 soloescismus figura appellatur. [3]) Quint. I. 8, 16. schemata . . id est figuras. cf. Char. I p. 279, 23. Diom. I. p. 443, 6. Sacerd. VI. p. 451, 2. Donat. IV. p. 397, 5. Pomp. V. p. 300, 2. p. 296, 10. [4]) Donat. IV. p. 392, 7. Serv. Comm. i. Donat. IV. p. 444, 8. Pomp. V. p. 284, 21; 26; 28. Cons. V. p. 286, 19. p. 396, 17; 18; 20. Sacerd. VI. p. 451, 15. Aud. VII. p. 361, 19; 20. cf. Isid. Etym. I. 32, 2. [5]) Cominian. apud Char. I. p. 265, 8; 10. Diom. I. p. 451, 31. Cons. V. p. 386, 21. [6]) [Corn. Front.] de diff. VII. p. 526, 19. bis.

1. Quamquam grammatici plerumque singularem vocis 'barbarismus' numerum ponunt, tamen interdum ubi non genus vitii sed singuli eius modi attinguntur, etiam pluralis numerus occurrit. Sunt autem loci hi:

Char. I. p. 453,4. Donat. IV. p. 392,27. Pomp. V. p. 283,38, p. 288,17. Cons. V. p. 386,4, p. 392,7; 14; 23; 28. p. 396,16, p. 397,17. Quint. I. 5,6. cf. Pomp. V. p. 284,29, p. 285,9: omnis barbarismus. Mart. Capell. III. 326. barbaricae formae.

2. Haud raro barbarismus substantivis quibusdam subiectus per ambitum enuntiatur.

genus barbarismi. Cons. V. p. 393,33. Quint. I. 5,9.
modi barbarismorum. Cons. V. p. 392,28.
barbarismi species. Cons. V. p. 393,35.
barbarismi partes. Cons. V. p. 398,2.
definitio barbarismi. Serv. comm. i. Donat. IV. p. 445,33.
nomen barbarismi. Cons. V. p. 387,26, p. 393,14.
barbarismi generale nomen. Pomp. V. p. 398,13.
crimen barbarismi. Cons. V. p. 393,8.
tempora barbarismi. Cons. V. p. 393,34.
vitium barbarismi. de ultim. syll. IV. p. 227,27. p. 259,5. Cons. V. p. 393,7.
vitium barbarismorum. Cons. V. p. 396,16.
formido barbarismi. Char. I. p. 57,2.
barbarismi foeditas. Quint. I. 5,5.

3. Verba accedunt ad vocem 'barbarismum' haec:

barbarismum facere. Serv. comm. i. Don. IV. p. 441,31. Pomp. V. p. 283,5 bis; 32; 36. p. 284,13, p. 286,1. Exc. ex cod. Monac. V. p. 327,21. Cons. V. p. 387,36, p. 389,29. p. 392,36. p. 391,1, p. 396,25; 26; 28. p. 397,14. Prisc. III. p. 111,17. Sacerd. VI. p. 493,29.
barbarismus fit. Quint. I. 5,6. Char. I. p. 265,4; 9;

10; 24. p. 266,12. Diom. I. p. 451,24; 31; 32. Donat. IV. p. 392,8; 27. p. 393,9. Prob. Cath. IV. p. 41,32. Serv. comm. i. Donat. IV. p. 444,12. Pomp. V. p. 283,34; 35. p. 284,29. p. 285,4; 9; 16. Julian. Exc. V. p. 323,38. Cons. V. p. 386,10. p. 391,34. p. 392,7; 14; 23; 31. p. 396,32, p. 397,30. Sacerd. VI. p. 451,4. Aud. VII. p. 361,17; 20; 22; 25. p. 362,2; 13; 16. de diff. VII. p. 526,20. Isid. Etym. I. 32,3 bis; 4; 5.

barbarismus efficitur. Jul. Exc. V. p. 324,1.

barbarismus profertur. Cons. V. p. 387,21.

barbarismus cernitur. Cons. V. p. 397,17; 25.

barbarismus deprehenditur. Donat. IV. p. 392,25. Pomp. V. p. 283,38. Cons. V. p. 397,19.

barbarismus ponitur. Pomp. V. p. 284,5; 6.

barbarismi eveniunt. Cons. V. p. 396,24.

barbarismus assumitur. Cons. V. p. 387,24.

barbarismus praesumitur. Cons. V. p. 387,19.

barbarismum accipimus. Quint. I. 5,7; 9.

barbarismum habere. Cons. V. p. 396,24.

in barbarismo esse. Pomp. V. p. 288,11; 12.

in barbarismum incurrere. Cons. V. p. 393,4. Serv. comm. in Donat. IV. p. 442,30.

barbarismi vitio censendum esse. Cons. V. p. 393,7.

in barbarismi crimen esse redigendum. Cons. V. p. 393,8.

in barbarismi nomen incidere. Cons. V. p. 393,14.

ad barbarismi generale nomen referre. Cons. V. p. 398,13.

ad barbarismi speciem pertinere. Cons. V. p. 393,35.

barbarismis imputare. Pomp. V. p. 288,17.

barbarismi partibus annectere. Cons. V. p. 398,2.

nihil in temporibus barbarismi ponere. Cons. V. p. 393,34.
hoc genus barbarismi vitare. Cons. V. p. 393,33.
barbarismus peccat. Cons. V. p. 386,19.
barbarismum vitare. Sacerd. VI. p. 493,22; 23. Prob. Cath. IV. p. 41,19; 22.

Eadem nunc ratione quae ad vocabulum 'metaplasmus' spectant elocutiones persequar.

1. Numerus pluralis occurrit his locis:
Quint. I. 8.14. Ter. Scaur. de orthogr. VII. p. 16,8. de ult. syll. IV. p. 262,19; 21. Serv. comm. i. Donat. IV. p. 443,32. p. 447,22; 23; 33. Pomp. V. p. 296,4; 24; 31. p. 297,28. p. 298,9. p. 299,19. Cons. V. p. 386,3. p. 387,3; 32. p. 388,25; 28. p. 389,11; 30. p. 390,29. p. 391,19. p. 392,32. p. 399,31. p. 400,2; 4; 28. p. 401,21. p. 402,9. p. 403,3; 5. p. 404,4. Isid. Etym. I. 35,7.

2. 'Metaplasmus' vox sive nominibus quibusdam subiecta sive praepositionem sequens legitur his locis:
metaplasmorum rationes. de ult. syll. IV. p. 262,19.
metaplasmi definitio. Cons. V. p. 386,25.
metaplasmorum vis et potestas. Cons. V. p. 399,31.
metaplasmi potestas. Cons. V. p. 400,15; 21; 27.
metaplasmorum postestates. Cons. V. p. 401,21.
metaplasmorum potestas. Cons. V. p. 402,25.
per metaplasmum. Donat. comm. Terent. I. p. 181,10. Cons. V. p. 391,11. p. 400,7; 9; 11. Priscian. II. p. 590,22.

His adiungi potest:
quidam generalis metaplasmus. Char. I. p. 278,1. Diom. I. p. 440,32.

3. Verba quae ad vocabulum 'metaplasmus' accedunt, inveniuntur haec:

metaplasmum facere. Pomp. V. p. 283,37. p. 284,25. p. 296,11; 14.
metaplasmus fit. Char. I. p. 278,1. Diom. I. p. 440,32. Cons. V. p. 387,22. p. 390,21. p. 392,32. p. 400,2; 4.
metaplasmum inducere. Cons. V. p. 403,5.
metaplasmos animadvertere. Cons. V. p. 403,5.
metaplasmum invenire. Cons. V. p. 402,29. p. 404,7.
inter metaplasmos reponere. Cons. V. p. 390,29.
inter metaplasmos esse. Cons. V. p. 319,19.
metaplasmum habere. Cons. V. p. 400,12.
de metaplasmis subiungere. Cons. V. p. 386.18.
dictionem metaplasmo corrumpere. Cons. V. p. 402.27.

II.

Quoniam de artis vocabulis satis mihi egisse videor, proximum est, ut quid esse putaverint Romani barbarismum et metaplasmum exquiram.

Qua usi sint cum in loquendo tum in scribendo diligentia antiqui, ne a perfecto scriptorum praestantissimorum et ad imitandum maxime idoneorum dicendi genere aberrarent, quis est, quin sciat? Ita factum est, ut rhetores haud paulum temporis consumerent, quid laudandum esset, quid vituperandum disputantes, ut vitarent vitia et haberent virtutes.[1]) In qua re explananda quis primus elaboraverit, cum pro certo affirmari non possit, tamen hic quoque Romanos Graecorum vestigiis institisse non est quod pluribus excutiamus.

Atque in virtutibus cum schemata et tropi tum metaplasmi habentur; qui quare illis adnumerentur, infra fusius explicabo.

---

[1]) cf. Serv. comm. i. Donat. IV. p. 443, 30.

Vitia vero orationis Diomedes I. p. 449,5 sqq. tria esse ait, obscurum inornatum barbarum. obscuritatis species esse octo, acyrologiam pleonasmum perissologiam macrologiam amphiboliam tautologiam ellipsim aenigma. inornatae orationis species esse quinque, tapinosim aeschrologiam cacenphaton cacozeliam cacosyntheton. barbarae orationis partes esse duas, soloecismum et barbarismum,[1]) quorum species esse plurimas. His verbis Diomedes quoniam in metaplasmos et schemata, quae in virtutibus ponuntur, inquisivit, ad vitia tractanda accingitur. Quae qui perlustraverit facere non poterit quin quam accurate atque eleganter hoc prooemium non modo fundatum verum etiam exstructum sit magnopere miretur. Accedit quod ceteri grammatici quamvis nonnulla de vitiis praebeant, tamen singulas species enumerare satis habent. Ne de numero quidem vitiorum congruunt inter se, cum apud Diomedem quindecim, apud ceteros grammaticos praeter unum Servium, de quo videas quae infra notavi, duodecim exstent, ita ut apud Donatum,[2]) Cledonium,[3]) Pompeium[4]) aenigma cacozelia aeschrologia desiderentur.

---

[1]) cf. auct. ad Her. IV. 12, 17. „Vitia in sermone quo minus is Latinus sit, duo possunt esse: soloecismus et barbarismus.“ [2]) IV. p. 394, 26 sqq. „cum barbarismo et soloecismo vitia duodecim numerantur hoc modo, barbarismus soloecismus acyrologia cacenphaton pleonasmus perissologia macrologia tautologia eclipsis tapinosis cacosyntheton amphibolia.“ cf. Serv. comm. i. Donat. IV. p. 447, 14 „cum barbarismo et soloecismo duodecim vitia putantur, quae in arte sunt scripta.“ At cf. p. 443, 31. „vitia autem sunt, ut ipse dicit, tantum quattuordecim.“ Quod mendum ita ortum esse Jeep l. l. p. 33. probabili coniectura contendit, ut interpolator quidam numerum de metaplasmi speciebus sumptum falso vitiorum esse adderet. [3]) V. p. 79, 20 sqq. „vitia orationis sunt

Copiosa hac de vitiorum generibus disputatione cum Diomedes longe ceteris praestet, unde eam mutuatus sit, quaeritur. Quam ab eo ipso additam esse nemo facile crediderit.

Atque haud scio an Quintilianus nos de origine disciplinae a Diomede traditae aliquatenus edocere possit. Is enim Inst. Or. I. 5. quoniam tres esse orationis virtutes, ut emendata dilucida ornata sit, exposuit,[1]) totidem esse vitia addit neque tamen singula eo loco persequitur. Sed cave, ne rhetorem prorsus ea neglexisse opineris. Nam cum diligentius institutionis oratoriae libros legerem, in tria illa incidi, quae sunt oratio barbara[2]) emendatae contraria, obscura[3]) lucidae contraria, inornata[4]) ornatae contraria. Quae quicumque studiose attenderit, insignem quendam rhetoris

duodecim, barbarismus soloecismus acyrologia cacenfaton pleonasmus perissologia macrologia tautologia ellipsis tapinosis cacosyntheton [amphibolia]". Quae deest in codicibus non probabili modo sed vera coniectura a Keilio restituta est amphibolia. [4]) V. p. 292, 34 sqq. „ergo docuit (Donatus) vitandum esse barbarismum, vitandum esse soloecismum. dicit adhuc vitanda esse aliqua decem vitia, brevia quidem; tamen et ipsa vitanda sunt. his duodecim vitiis si qui caruerit . . . . acyrologia cacenphaton pleonasmus perissologia macrologia tautologia eclipsis tapinosis cacosyntheton amphibolia: diximus barbarismum, diximus soloecismum." Eadem vitia ab Isidoro Etym. I. 34. enumerantur.

[1]) „Iam cum omnis oratio tres habeat virtutes, ut emendata, ut dilucida, ut ornata sit (quia dicere apte quod est praecipuum, plerique ornatui subiciunt), totidem vitia, quae sunt supra dictis contraria." [2]) Inst. Orat. I. 6, 30. „nonnumquam etiam barbara ab emendatis conatur discernere." [3]) l. l. IV. 5, 26 „Et divisa autem et simplex propositio, quotiens utiliter adhiberi potest, primum debet esse aperta atque lucida (namquid sit turpius quam id esse obscurum ipsum, quod in eum solum adhibetur usum, ne sint cetera obscura)." [4]) l. l. VIII. 3, 50. „quamquam id obscurae potius quam inornatae orationis vitium est."

et grammatici consensum deprehendet. Nam duo quae inter eos apparent discrimina, alterum quod Quintilianus singulorum generum species omittit, alterum quod virtutum tripartita divisio apud Diomedem non occurrit, ex utriusque ingenio repetenda esse elucet, cum alter singulari quadam sagacitate quae ex aliis deprompserat quasi recocta suo arbitrio reddere, alter verba auctorum, quos in suum usum convertit, accuratius referre soleat.[1])

Quoniam utrum in orationis vitiis an virtutibus Romani habuerint barbarismum et metaplasmum examinavimus, quae exstant apud grammaticos definitiones legentibus proponam.

Qui paulo studiosius in definitionibus barbarismi apud grammaticos obviis versatus erit, eum non fugiet omnino duas esse, quae quamvis sententiis paene congruant, verbis tamen atque dispositione paulum discrepent. Quae unde prodierint quaerentibus nobis alterius auctor Remmius Palaemon, alterius Cominianus perhibendus est, ultra quos progredi, ut nunc res se habent, sine temeritatis probro vix licet.

Atque Remmio Palaemoni quidem quomodo quid sit barbarismus definire placuerit apud Charisium I. p. 265,23 sqq.[2]) ad hunc modum scriptum videmus „barbarismus est dictio vel pronuntiatione vel scriptura aliqua sui parte vitiosa“.[3]) Quam definitionem cum altera quae occurrit apud Charisium contexuisse vi-

---

[1]) cf. Tolkiehn. Woch. f. klass. Phil. 1908. p. 422. [2]) Eam definitionem, quamvis auctor non laudetur, Remmii Palaemonis esse Tolkiehn comprobavit Woch. f. klass. Phil. 1908, p. 420. [3]) Quod apud Quintilianum Inst. Orat. I. 5, 6 legitur „vitium quod fit in singulis verbis, sit barbarismus“ nil offendit, quoniam quam non anxie se ad Remmii Palaemonis verba Quintilianus applicaverit modo vidimus.

dentur Diomedes I. p. 451,22 sqq. et Consentius V. p. 386,8 sqq. Hic haud scio an reliquis quas invenerat grammaticorum definitionibus examinatis eam, quam Remmii Palaemonis esse verisimillimum videtur, ipse quoque probaverit, cum v. 15. ultimam eam laudet his verbis „barbarismus est dictio aliqua parte sui vitiosa“ neque improbet.

Idem qui Remmii Palaemonis tradit definitionem Charisius in iis quae antecedunt (p. 265,3) alteram quae est Cominiani, affert. Est autem haec: „barbarismus est dictio vitiosa. haec autem definitio generalis est, non specialis. sed quoniam dictio et contexta oratio et una pars eius intellegitur, consuetudo hunc tantum barbarismum appellat, qui fit in una parte orationis. aptius tamen hac utemur definitione: ‘barbarismus est una pars orationis corrupta’.“ [1])

Incipit igitur Cominianus a definitione, quam acri subtilique ingenio et iudicio percenset. Quam si cum Remmio Palaemone comparaverimus, eandem esse magno quodam earum consensu efficitur. Nam quod verba „vel pronuntiatione vel scriptura“ omissa sunt, non est cur mireris, quia in definitione supervacua sunt. Ac Cominianus quidem in ea re videtur offendisse, quod in ea quam Remmii Palaemonis esse contendimus definitione duplex vocabuli ‘dictio’ significatio et contextam orationem et unam eius partem amplectentis neglecta est. Quare ipse, ut omnis error abesset, verba illa ‘una pars’ addidit.

Eandem, quam Cominianus sententiam prae se

---

[1]) Idem fere occurrit apud Sacerdotem VI. p. 451, 4, quem a Cominiano adhibitum esse Tolkiehn Cominiani p. 157 sqq. demonstravit: „barbarismus est vitiosa dictio unius verbi.“ cf. schol. in Dionys. Thrac. p. 170, 23. p. 447, 18 sqq. Hilg.

ferunt Donatus[1]) et qui eum interpretati sunt vel expilaverunt.[2]) Similiter Plinius quoque suo more quid esset barbarismus expresserat, cum esse sermonem unum, in quo vis sua esset contra naturam,[3]) eum dixisse auctor sit Servius.[4]) quocum conferas eam definitionem, qua Pompeius[5]) Plinium usum fuisse memoriae prodidit. Denique Cominiani definitio exstat apud Diomedem Consentiumque, quos locos supra commemoravi, et apud Audacem in capite, quod unde sumptum sit infra diiudicare conabimur.

Iam redeamus eo unde profecti sumus. Remmium Palaemonem cum barbarismum dictionem vitiosam esse dixit, non satis certis finibus eam definitionem circumscripsisse putandum est. Quare triplex a grammaticis mota est quaestio, ut barbarismum seiungerent a soloecismo metaplasmo barbarolexi.

Ac primum quidem in definitione, quae Remmii Palaemonis putanda est, cum vox „dictio" ambigue posita offenderet, nil antiquius habuerunt grammatici, quam ut barbarismum quam accuratissime a soloecismo[6]) distinguerent. Quod vitium quid esse existimaverint antiqui, quo commodius iudicare possis, hic accedat auctorum praestantissimorum enarratio.

---

[1]) IV. p. 392, 5 sq. 'barbarismus est una pars orationis vitiosa in communi oratione'. cf. Exc. ex com. Donat. V. p. 327, 2 sq. [2]) Serv. com. i. Donat. IV. p. 444, 2 sq. 'barbarismus est vitium factum in una parte orationis vel in uno sermone contra regulam grammaticae'. Cled. V. p. 79, 20. 'barbarismus est una pars orationis [vitiosa]'. [3]) id est contra analogiam sive regulam grammaticae. cf. Woldt, De analogiae disciplina apud grammaticos latinos. Diss. Reg. 1911. p. 13 sqq. [4]) com. i. Donat. IV. p. 444, 3 sqq. [5]) V. p. 283, 19. [6]) cf. Schepss. l. l. p. 44 sqq.

Cornificius IV. 17.

„Soloecismus est, cum in verbis pluribus consequens verbum superius non [ad]commodatur.“

Plin. apud Pomp. V. p. 283,20.

„quid est soloecismus? quod male per artem dicitur.“ [1])

Rem. Pal. apud Char. I. p. 267,23 sq.

„Soloecismus est non conveniens rationi sermonis verborum iunctura.“

Quint. I. 5,34.

„Cetera vitia [praeter barbarismum, quod est unius verbi vitium[2])] omnia ex pluribus vocibus sunt, quorum est soloecismus 46. soloecismus porro vitium non est in sensu,[3]) sed in conplexu.“

Sacerd. VI. p. 449,16 sqq.

„Soloecismus est latini sermonis inpropria ordinatio, oratio inconsequens, verborum inter se non suo loco positorum vitiosa structura, carens ordine sermo, dictio non cohaerens.“

Comin. apud Char. I. p. 266,15.

„Soloecismus est oratio inconsequens.“

Donat. IV. p. 393,6 sqq.

„Soloecismus est vitium in contextu partium orationis contra regulam[4]) artis grammaticae factum. inter soloecismum et barbarismum hoc interest, quod soloecismus discrepantes aut inconsequentes in se dictiones habet, barbarismus autem in singulis verbis fit.“

Haec duo vitia ne in unum confunderentur, cum periculum esset, grammatici quid differrent in usum

---

[1]) cf. Beck, C. Plinii Secundi, libr. dub. serm. VIII. rel. Lips. 1894. p. 44. [2]) cf. I. 5, 16. [3]) cf. Anecd. Helv. p. 280, 16 sq.: „Inter soloecismum et barbarismum hoc interest, quod soloecismus in sensu, barbarismus in voce.“ [4]) id est analogiam cf. Woldt l. l. p. 14 sq. et 22.

scholarum ita exponere non desierunt,[1]) ut barbarismum ad formam verborum, soloecismum ad constructionem verborum, quam Graeci syntaxin vocant, pertinere docerent.

Neque tamen ea facili atque expedita distinctione servata barbarismi notio satis certis terminis circumscripta atque definita est. Etenim ea fere esse videtur grammaticorum consuetudo, ut id vitium ad sermonem solutum referant, in carmine metaplasmum[2]) vocent. Unde factum est, ut persaepe definitioni verba „in sermone soluto“ insererentur velut, a Cominiano apud Char. I. p. 265,6 sq. „sed hoc vitium in soluta oratione nomen suum retinet, ceterum apud poetas metaplasmus vocatur“.[3])

Sed in ea nominum distinctione nonnullos grammaticos non acquievisse testis est Donatus, apud quem IV. p. 395,28 sq. scriptum videmus.

„Metaplasmus est transformatio quaedam recti solutique[4]) sermonis in alteram speciem metri ornatusque causa.“

Eodem fere modo Consentius V. p. 386.26 sqq. „Metaplasmus“, inquit, „est una pars orationis figu-

---

[1]) cf. praeter locos supra allatos Sacerd. VI. p. 451, 16. sqq. Diom. I. p. 455, 34 sqq. Pomp. V. p. 283, 9 sq.; 30 sqq. p. 288, 23 sq. Cons. V. p. 395, 28 sqq. Expl. in Donat. IV. p. 563, 3 sqq. Anon. in cod. Monac. exc. in Donat. V. p 327, 10 sqq. [2]) metaplasmus latine dicitur „transfictio“ cf. Diom. I. p. 456, 1. vel „transformatio“ cf. Isid. Etym. I. 35, 1. [3]) cf. Quint. I. 8, 14. „ut vitia ipsa aliis in carmine appellationibus nominentur: μεταπλασμούς enim . . .“ cf. Diom. I. p. 451, 28 sq. Diom. I. p. 455, 37. Donat. IV. p. 392, 6. Serv. com. in Donat. IV p. 444, 8 sqq. Exc. ex com. in Donat. V. p. 327, 3. Cons. V. p. 386, 10. Pomp. V. p. 288, 37 sq. Audac. exc. VII. p. 361, 18 sq. Isid. etym. I. 32, 2. [4]) cf. Pomp. V. p. 284, 3 sq. „si ille ipse barbarismus, qui factus est in prosa, cum coeperit transferri, pro necessitate ponitur . . . .“

rata contra consuetudinem vel ornatus alicuius causa vel metri necessitate cogente."

Atque ornatus quidem, ad quem plerique schemata sive figuras spectare contendunt,[1] praeterea nisi apud Isid. etym. I. 35,7 „Ergo metaplasmi [et] schemata media sunt et discernuntur peritia et inperitia. Fiunt autem ad ornatum" non commemoratur.[2]

Vulgo vero metaplasmus propter metri necessitatem effici dicitur.[3]

Quo necessitatis fundamento nixi quidam barbarismum in soluto sermone, metaplasmum in versu fieri vetantes eo processisse videntur, ut vel in carmine barbarismos et metaplasmos discernerent. Cuius sententiae argumentum exstat apud Pomp. V. p. 283,37 sqq:

„sed plerumque contingit, ut etiam in versibus deprehendamus barbarismos . . . si ille ipse barbarismus, qui factus est in prosa, cum coeperit transferri, pro necessitate ponitur, apparet metaplasmum esse; si autem sine necessitate est positus, apparet barbarismum esse."[4]

Veterum porro scriptorum in hac re auctoritas[5]

---

1) e. g. Pomp. V. p. 296, 4. „figurae fiunt causa ornatus". p. 905, 3. „schemata tantum modo ornatus". Serv. in Donat. IV. p. 443, 33. „schema res solius ornatus". cf. Sacerd. VI. p. 451, 25 collatis eiusdem paginae versibus 21 sqq. 2) cf. Mart. Cap. p. 97, 21. 3) Quint. I. 8, 14 „μεταπλασμούς enim. . vocamus et laudem virtutis necessitati damus." Serv. in Donat. IV. p. 443, 33. p. 457, 22 sq. Pomp. V. p. 305, 2. p. 296, 22 sq. Isid. Etym. I. 35, 1. „qui fit in uno verbo propter metri necessitatem et licentiam poetarum." Sacerd. VI. p. 451, 25. collatis versibus eiusdem paginae 21 sqq. 4) cf. Pomp. V. p. 292, 17 sqq. „diximus in metaplasmis et barbarismis quod haec sit discretio, ut, si stat versus etiam sine illa necessitate, ut barbarismus sit; si autem non stat, nisi vitium feceris, metaplasmus est." 5) cf. Woldt l. l. p. 13.

et prudentia peritiaque a Consentio V. p. 387,18 sqq. praedicatur: „barbarismus citra auctoritatem lectionis imperite nunc in quibusdam locis praesumitur, metaplasmus autem ille est, qui ex veterum scriptorum auctoritate vel praeiudicatae consuetudinis ratione profertur; item quod metaplasmus vel ob similitudinem lectionis aut veteris consuetudinis a doctis fit scienter, barbarismus vero ab imprudentibus nulla aut veterum aut consuetudinis auctoritate perspecta assumitur." [1])

Simillimum discrimen soloecismi et schematis sive figurae, inter quae eandem ac inter barbarismum et metaplasmum rationem intercedere apparet, Plinium statuisse cum Pompeius[2]) et Servius[3]) memoriae prodant, haud procul a vero nos aberraturos esse spero, si eadem a Plinio quae a Consentio de barbarismo et metaplasmo tradita esse contenderimus.

Quo discrimine interposito res haud parvi momenti tacta est. Huc accedit, id quod solus Consentius V. p. 387,24 sqq.[4]) respicit, ut omnes barbarismi species

---

[1]) cf. Cons. V. p. 396, 2 sqq.: „ubi vero . . . imperite facta sunt, ibi barbarismus est; ubi perite cum auctoritate, ibi metaplasmus." [2]) V. p. 292, 13 sqq. „Plinius sic dicit „quando sit soloecismus, quando sit schema, sola intellegentia discernit" . . . nam et in soloecismo hoc quaeritur, utrum sciens hoc fecerit, an nesciens . . . ." . [3]) com. in Donat. IV. p. 447, 5 sqq. „Quaesitum est apud Plinium Secundum, quid interesset inter figuras et vitia. nam cum figurae ad ornatum adhibeantur, vitia vitentur, eadem autem inveniantur exempla tam in figuris quam in vitiis, debet aliqua esse discretio. quidquid ergo scientes facimus novitatis cupidi, quod tamen idoneorum auctorum firmatur exemplis, figura dicitur. quidquid autem ignorantes ponimus, vitium putatur." [4]) „item inter barbarismum et metaplasmum hoc interest, quod . . . sub uno nomine barbarismi peccant; in metaplasmo vero alia atque alia nomina pro qualitatibus locisque suscipiunt."

uno illo nomine promiscue vocentur, singulis metaplasmi speciebus diversa nomina attribuantur.

Variorum illorum discriminum rationem habenti iam in promptu erit, quo modo factum sit, ut grammatici antiqui barbarismum vitium orationis, virtutem metaplasmum dicerent[1]) velut Aud. exc. VII. p. 362,19 sqq: „Barbarismus nullo modo excusari potest? Potest: si enim per inprudentiam fiat, vitium est; si a poetis, virtus elocutionis et appellatur Graece metaplasmus.“ [2])

Iam restat, ut inquiramus in vocabula „barbarolexis“ [3]) „barbaros lexis“ [4]) „barbara locutio[5]) vel dictio“ [6]) idem significantia, quomodo differant a vocabulo „barbarismus“. De ea re cum variae sententiae apud grammaticos occurrant neque adhuc quisquam diligenter omnia protulerit,[7]) omnes qui huc pertinent locos in uno conspectu ponam. Atque a plerisque sane barbarolexis vocatur vox ex lingua peregrina[8]) in sermonem latinum arcessita. Est apud hos.:

Cons. V. p. 386,18 sqq. „ammonere debemus aliud esse barbarismum, aliud esse barbarolexin. . . barbaros autem lexis uno modo tantum intellegitur, cum ex aliena lingua in nostrum usum aliqua pars orationis inducitur, ut cum dicimus cateias utique hastas Gallo-

---

[1]) quamquam apud unum Sacerdotem VI. p. 460, 21 sq. legitur: „Tropi similes sunt metaplasmis, non, ut quidam putant, dissimiles, dicentes, quia metaplasmi vitia habent, tropi vero virtutes.“ [2]) cf. Sacerd. VI. p. 451, 15 sq. Serv. in Donat. IV. p. 443, 31 sqq. cf. Quint. I. 8, 14. [3]) cf. Donat. IV. p. 392, 7. Serv. com. in Donat. IV p. 444,8. Pomp. V. p. 284,21; 25; 28. Cons. V. p. 386, 19. p. 396, 17; 18. Aud. exc. VII. p. 361,19; 20; 21. Isid. etym. I. 32,2. Sacerd. VI. p. 451,15. [4]) Comin. apud. Char. I. p. 265,8; 10. Diom. I. p. 451,31. Cons. V. p. 386,21. [5]) de differ. VII. p. 526,19. [6]) Comin. apud Charis. I. p. 265,9. [7]) cf. Münscher Thes. l. l. s. v. barbarolexis. [8]) cf. Mar. Vict. VI. p. 34, 23

rum, mastrucam vestimentum Sardorum, magalia Afrorum casas, acinaces gladios Medorum."[1])

Isid. etym. I. 32,2.

„Inter barbarismum autem et barbarolexin hoc interest, quod barbarismus in verbo latino fit, dum corrumpitur; quando autem barbara verba latinis eloquiis inferuntur, barbarolexis dicitur."

Eodem spectat, quod Quintilianus hoc artis vocabulo non adhibito inst. orat. I. 5,8. barbarismum unum gente accipi dicit, quale sit, si quis Afrum vel Hispanum latinae orationi nomen inserat. [2])

Ceteri vero, qui eandem prae se ferunt sententiam, non sine ambiguitate duas illas notiones discernunt, velut Cominianus apud Char. I. p. 265,8: „barbarismus est barbaros lexis, id est barbara dictio. sed hoc vitium inter se differt, quod barbarismus fit in nostra loquella, barbaros lexis in peregrina."[3])

Obscuris his verbis Pompeium, qua erat stultitia, adductum esse putaverim, ut V. p. 284,20 sqq. barbarolexin vitium barbarismi in voce peregrina deprehensum nominaret. „Si enim", inquit, „latinus fuerit sermo, appellatur barbarismus, si peregrinus fuerit, appellatur barbarolexis, ut puta siqui dicat mastruga magalia et cateia . . . . in istis verbis si qui peccaverit, non dicitur fecisse barbarismum, non dicitur fecisse metaplasmum, sed dicitur fecisse barbarolexin. si qui velit dicere mastruga aut cateia aut magalia, si peccaverit in istis verbis, non dicitur barbarismus aut

---

[1]) cf. eundem V. p. 396,16 sqq. de differ. VII. p. 526,19 sq. [2]) Eodem pertinet, quod Varro apud Diom. I. p. 428,22 sqq. de syllabis barbaris, quorum exemplum 'gaza' affert, disserit. [3]) cf. Donat. IV. p. 392,5 sqq. Serv. com. in Donat. IV. p. 444,5 sqq. Diom. I. p. 451,30 sqq. Audac. exc. VII. p. 361,19 sqq.

metaplasmus, sed barbarolexis." Atque Pompeium in magno errore versari vel inde apparet, quod exempla allata ad sententiam, quae alias nusquam occurrit, comprobandam ne minime quidem quadrant.

Postremo denique loco verba Sacerdotis a reliquis mirum quantum discrepantis in medium proferam. Qui postquam varia barbarismorum exempla attulit, sic pergit VI. p. 451,15 sq.: „Haec vitia, cum dicuntur,[1]) barbarismi sunt; cum scribuntur, barbarolexis."

Quae unde fluxerint, haud scio an facile sit intellectu. Nam omnes fere grammatici barbarismos duobus modis fieri dicunt, aut scriptu aut pronuntiatu.[2]) Quam divisionem Sacerdos, cum alibi non laudet, falso ad barbarismum et barbarolexin discernenda videtur traxisse. Neque tamen necesse est Sacerdotem primum hac via progressum esse.

Iamiam peracta atque ad finem perducta quaestione de notione barbarismi apud grammaticos obvia non omittam fuisse, qui barbarismi terminos longius proferrent. Exstat enim apud solum Consentium V. p. 395,19 sqq. „Tendunt longius plerique scriptores vitium barbarismi. nam quidquid in habitu,[3]) quid-

---

[1]) cf. Cons. V. p. 396,16 sqq. „nam cum . . barbarismorum vitium divisum sit inter barbarismum et barbarolexin ea ratione, ut barbarismus illud dicatur, quod cognitum in latina lingua prolatione tantum peccat . . ." [2]) e. g. cf. Cons. V. p. 387,3 sqq. „barbarismi primam hanc definitionem habent, quod fiunt vel enuntiatione vel scripto. peccamus enim aut male enuntiando, id est vitiose loquendo, aut male scribendo, id est corrupte et oblique litterarum seriem conectendo." Haec res postmodo uberius tractabitur. [3]) cf. Quint. V, 13,39. „alia respondendi patronis ratio est: aliquando tamen eorum non oratio modo, sed vita etiam, vultus denique, incessus, habitus recte incusari solet . . ."

quid in gestu.[1]) quidquid in motu,[2]) etiam quidquid citiore vel tardiore incessu[3]) quis peccat, ut id ab elegantia eruditi hominis distare videatur, barbarismum dicunt. quam ob rem ita censeri non inutile est, ut sciant se non mediocri vitio laborare, quo civilem scientiam professi in his quoque mutis et tacitis rebus in vitium aliquod contra rationem decoris incurrunt, quo magis sequenda sunt haec praecepta, quae a rhetoribus de gestu et actione traduntur." Agmen claudat Galenus, qui notionem ad vitam transferens in commentario *περὶ τῆς τάξεως τῶν ἰδίων βιβλίων* (ed. Kühn. XIX. p. 61): „*Ἄμεινόν ἐστιν*, inquit, *τῇ φωνῇ μᾶλλον ἢ τῷ βίῳ σολοικίζειν τε καὶ βαρβαρίζειν.*"

III.

Quoniam ad hunc locum perventum est, non alienum esse videtur de barbarismorum speciebus et quo modo fiant exponere.

Initium faciamus ab eo, qui primus, quantum scimus, inter Romanos de hac re egit. Est Remmius Palaemon, qui apud Charisium I. p. 265,23 sqq.[4]) barbarismos omnes in duas partes dividit, quarum altera pronuntiatione altera scriptura fiat. Ea divisio bipar-

---

[1]) Quint. I. 5,36 „in gestu etiam nonnulli putant idem vitium inesse (sc. soloecismum), cum aliud voce, aliud nutu vel manu demonstratur" cf. C. Sittl. Die Gebärden der Griechen und Römer Lips. 1890. p. 209. n. 2. [2]) Cornif. III. 15,26: „motus est corporis gestus et vultus moderatio quaedam.. ne aut histriones aut operarii videamur esse." [3]) cf. Cic. orat. 18,59. „rarus incessus nec ita longus." Quint. XI. 3,126. „discursare vero et . . . satagere ineptissimum, urbaneque Flavius Verginius interrogavit de quodam suo antisophiste, quot milia passuum declamasset." [4]) „barbarismus est dictio vel pronuntiatione vel scriptura aliqua sui parte vitiosa."

tita tam accepta atque in scholis trita[1]) fuit, ut nisi apud Sacerdotem, de quo supra egimus,[2]) atque Audacem nusquam fere desideretur.[3]) Deinde Remmius Palaemon alterius partis, quae scriptura fiat, species esse ait barbarismos adiectione detractione immutatione transmutatione unius plurumve litterarum ortos, [4]) alterius, quae enuntiatione fiat, barbarismos productione vel correptione et aspiratione ortos. Atque quo aspiratio spectet, cum pro certo dici nequeat, utrum enuntiatione an scriptura fiat, in disceptationem vocatum est.[5])

Quintiliani vero, quem Remmii Palaemonis discipulum fuisse inter omnes constat, doctrinam si cum magistro comparaverimus, mirum quendam concentum statuemus, cum ipse quoque duos illos modos easdemque species praebeat, nisi quod ille nonnulla, qua erat eruditione atque sagacitate, de suo videtur adiunxisse.[6])

Etenim speciebus, quae ad locutionem pertinent, eas addidit, quae e divisione conplexione[7]) accentu[8])

---

[1]) cf. Quint. I. 5,6. „aut quis hoc nescit, alios barbarismos scribendo fieri, alios loquendo?“ [2]) p. 27. [3]) cf. Comin. apud Char. I. p. 265,20 sq. Donat. IV. p. 392,7 sq. „barbarismus fit duobus modis pronuntiatione et scripto.“ Serv. com. in Donat. IV. p. 444,12 sq. Pomp. V. p. 284,29 sq. Julian. Exc. in Donat. V. p. 323,39 sq. Diom. I. p. 451,27. Cons. V. p. 387,4. Isid. I. 32,3. [4]) cf. Quint. I. 5,19. „quamquam per aspirationem, sive adicitur vitiose sive detrahitur, apud nos potest quaeri, an in scripto sit vitium, si h littera est, non nota.“ cf. Comin. apud. Char. I. p. 265,20 sqq. Donat. IV. p. 392,25 sqq. Serv. in Donat. IV. p. 444,30 sqq. [5]) cf. I. 5,5 sqq. [6]) cf. Terent. Scaur. de orthogr. VII. p. 11, 1 sq.: „Scribendi autem ratio quattuor modis vitiatur, per adiectionem, detractionem, inmutationem, adnexionem.“ [7]) cf. Quint. I. 5, 17 „ut divisio „Europai Asiai“ et ei contrarium vitium, quod *συναίρεσιν* et *⟨ἐπι⟩συναλοιφήν* Graeci vocant, nos conplexionem

evadunt. Sed fieri potuisse libere concedam, ut aut in Charisii libro eae partes exciderent, praesertim cum unicum, quod vetustatem pertulit, eius exemplar Neapolitanum valde corruptum esse notum sit,[1]) aut Remmius Palaemon sponte id praeteriret, quoniam Quintilianus[2]) plus exigere subtilitatis quae accidant in dicendo vitia affirmat, quia exempla eorum tradi scripto non possent, nisi cum in versus incidissent.

Eorum autem, qui cum Quintiliano Remmii Palaemonis doctrinam amplexi sunt, Servii[3]) et Pompeii[4]) ratio ea est, ut enuntiationi barbarismos productione vel correptione vocalis factos assignent, scripturae quattuor illis modis factos. Neque vero est dubitandum, quin ea divisione litteraturae latinae, quippe quae vocales et breves et longas una eademque nota reddat, proprietas respiciatur.

Ceteri ea divisione, quae quantas difficultates grammaticis attulerit, supra vidimus,[5]) quoniam ad barbarismos definiendos nullius fere momenti esset, neglecta quattuor illas species barbarismi scriptura facti apud Remmium Palaemonem obvias ad omnes barbarismos adhibentes[6]) adeo amplificant, ut eas ad

---

dicimus . . . .“ [8]) cf. I. 5, 22 sqq. Idem fere exstat apud Isid. etym. I. 32, 3 sq.

[1]) cf. I. Tolkiehn B. ph. W. 1915 p. 1468. [2]) cf. I. 5, 17. [3]) com. in Donat. IV. p. 444, 13 sqq. [4]) V. p. 285, sqq. [5]) p. 29. [6]) cf. Comin. apud Char. I. p. 265, 10 sqq. Donat. IV. p. 392, 8 sq. „his bipertitis quattuor species supponuntur adiectio detractio immutatio transmutatio.“ Jul. exc. in Donat. V. p. 323, 39 sqq. Aud. Exc. VII. p. 361, 22 sqq. Diom. I. p. 451, 32 sqq. Cons. V. p. 387, 6 sqq. Quod commemoretur dignum videtur, solum Cominianum et in speciebus enumerandis et in exemplis afferendis transmutationem ante immutationem collocare. cf. I. Tolkiehn, Woch. f. klass. Phil. 1908 p. 195.

quinque res accommodent, quae sunt littera syllaba tempus tonus adspiratio.[1])

Quae ratio primum quidem quamvis non satis diligenter in omnibus speciebus usurpata cum apud Cominianum[2]) occurrat, id contendere ausim eam quam supra tractavimus divisionem a Remmio Palaemone, hanc a Cominiano profectam esse.

Quem qui in summa sequitur Diomedes[3]) ea re differt, quod accentum omittit et detractionis species tribus locis,[4]) in prima parte dictionis, in media, in novissima inveniri affert artis vocabulis ex metaplasmis repetitis usus.[5])

Singularem quandam atque satis rudem divisionem Sacerdos VI. p. 451,4 sqq. praebet, qui barbarismum octo modis fieri dicit, per productionem, correptionem, aspirationem, lenitatem, immutationem litterarum, accentum, immutationem loquellarum, ac si graecum nomen latine dicas vel latinum nomen graece scribas vel dicas, per immutationem accentuum. Quam distinctionem unde sumpserit, etsi plane obscurum est, tamen non abest suspicio, quin in hac re ad Graecos propius accedat.[6])

Metaplasmi, quippe quos barbarismos in versu esse

---

[1]) cf. Comin. apud Char. I. p. 265, 11 sqq. Donat. IV. p. 392, 8 sqq. Serv. com. in Donat. IV. p. 444, 16 sqq. „et fit quinque rebus, littera syllaba accentu tempore aspiratione." Pomp. V. p. 285, 17 sqq. „Fit autem quinque rebus, per litteram, per syllabam, per tonos, per tempora, per aspirationem." Quod ad ordinem attinet, Pompeius cum Servio congruit, cum Donatus „tempus" tertio, non quarto loco collocet. [2]) apud Char. I. p. 265, 11 sqq. [3]) I. p. 451, 33 sqq. [4]) I. p. 452, 23 sqq. [5]) Similiter peccat Quint. I. 5, 17 [6]) cf. e. g. Schol. Londinensia in Dionys. Thrac. art. gram. Gram. Graec. III. Lips. 1901. ed. Hilgard. p. 447, 18 sqq. Choerob. p. 103, 11 sqq. Hilg.

et iisdem modis[1]) fieri omnium grammaticorum consensu comprobetur, ab iis, qui de barbarismis diligenter exposuerunt, si non tractarentur, vix haberemus cur miraremur.

Quintilianus quidem de eo vitio tam docte quam eleganter disserit neque usquam metaplasmi mentionem facit, nisi quod duo artis vocabula huc spectantia affert.[2])

Nihilo minus apud plerosque grammaticos de metaplasmis quoque caput peculiare conscriptum invenitur. Quod qua de causa insertum sit, si quaerimus reminiscaris, quaeso, quod metaplasmi modos a barbarismis nominum inprimis diversitate internosci supra commemoravimus.[3])

Neque vero Consentium[4]) fugit, non omnes barbarismi modos in metaplasmos abire, quoniam accentus et aspiratio ad versum conformandum nihil pertinent.

Iam eos qui in hanc rem inquirunt perlustraturis nobis, quod vetustiora testimonia praesto non sunt, a Charisio ordiendum videtur. Is in capite, quod unde fluxerit nondum constat,[5]) quattuordecim metaplasmos concinne compositos exhibet.[6]) Qui a grammaticis, qui Donatum commentati sunt,[7]) ita ordinantur, ut tres prothesis parenthesis prosparalepsis ad adiectionem

---

[1]) cf. Cons. V. p. 386, 27 sqq. „Metaplasmus, quantum ego sentio, etsi non forte omnibus, plerumque tamen isdem modis evenit, quibus et barbarismus . . .“ [2]) Inst. orat. I. 5, 17. cf. p. 29 sq. [3]) cf. p. 24. [4]) V. p. 390, 21 sqq.: ‘Ex his apparet per accentus et aspirationem metaplasmum non fieri. haec enim fere duo specialiter barbarismis remanent.’ cf. V. p. 392, 28 sqq. [5]) cf. Tolkiehn. Cominian. p. 29 sq. [6]) I. p. 277, 26 sqq. „huius species sunt quattuordecim hae, prothesis parenthesis prosparalepsis aphaeresis syncope apocope ectasis systole diaeresis episynaliphe synaliphe ecthlipsis antithesis metathesis.“ [7]) cf. Serv. com. in Donat. IV. p. 447, 33 sqq. Pomp. V. p. 296, 24 sqq. Cons. V. 388, 22 sqq.

litterae syllabaeve[1]) in prima, media, extrema parte vocis pertinentia contraria sint detractione factis, qui sequuntur.

His metaplasmis, qui pro locorum condicionibus vocantur, adiunguntur quater bini inter se contrarii, qui nomina pro qualitatibus sortiuntur.[2]) Atque ectasis et systole adiectione vel detractione temporis fiunt. Item quae deinceps enumerantur diaeresis et episynaliphe, synaliphe et ecthlipsis verbis metri necessitate mutatis nascuntur. Agmen claudunt antithesis et metathesis, quae sunt immutatio et transmutatio litterarum.

Ex Charisii exemplari, quod integrius videtur fuisse quam codex Neapolitanus, auctorem de ultimis syllabis ea hausisse putaverim, quae IV. p. 262,19 sqq. de metaplasmis tradit.

Nam cum eo congruit hac in re cum quod parenthesi et prosparalepsi vocabulis apud grammaticos alias non occurrentibus, nisi quod a Donato vixdum perstringuntur,[3]) utitur, tum quod omnia fere exempla a Charisio allata repetit nonnullis etiam novis additis.

Qui eadem fere aetate ac Charisius floruit Donatus[4]) eundem metaplasmorum numerum affert, sed paulum cum Charisio dissentit pro parenthesi vocabulo ‘epenthesis’ pro prosparalepsi vocabulo ‘paragogae’ usus.

---

1) cf. Cons. V. p 391, 10 sqq. „haec ammonenda habeo, quod plerumque sic littera subtrahitur per metaplasmum aut adicitur, ut non solum in eo littera, sed et syllaba sit.“
2) cf. Cons. V. p. 388, 22 sqq., cf. Tolkiehn Cominian. p. 29.
3) cf. IV. p. 396, 4 sq. 6 sq. 4) IV. p. 395, 29 sqq.: „huius species sunt quattuordecim, prosthesis epenthesis paragoge aphaeresis syncope apocope ectasis systole diaeresis episynaliphe synaliphe ecthlipsis antithesis metathesis.“

Quem secuti Servius,[1]) Pompeius,[2]) Consentius,[3]) qui unus omnium maxime diligenter atque ingenii acie non mediocri usus in ea re versatus est, Isidorus[4]) cum inter se congruant, non est cur singillatim eos recognoscamus.

Id tamen, quod levioris momenti est, mihi proferre liceat Pompeium pro episynalipha vocabulum 'synaeresis' ponere[5]) et ecthlipsis synaliphaeque ordinem commutare. Servius vero usque ad apocopen singula nomina enumerare satis habet.

Iam ut huic dissertationis parti finem imponamus, nonnulla de Diomede et Sacerdote adiungenda sunt.

Etenim Sacerdos[6]) ne hic quidem a consuetudine sua, quam saepe observavimus, recedit. Neque ei rei nimium videtur tribuendum, quod antithesi et metathesi septimum atque octavum ordinis locum dedit et

---

1) com. in Donat. IV. p. 447, 33 sqq.: „metaplasmi autem quattuordecim sunt. sed primi septem aliis contrarii sunt. nam nullus est metaplasmus, qui non habet contrarium. πρόσθεσις ἐπένθεσις παραγωγή, qui fiunt per additionem contrarii sunt illis, qui fiunt per detractionem id est ἀφαίρεσις συγκοπή ἀποκοπή et extra ordinem qui sequuntur omnes statim contrarios habent“. 2) V. p. 296, 24 sqq. „sunt autem metaplasmi isti quattuordecim, prothesis epenthesis paragoge aphaeresis syncope apocope ectasis systole diaeresis synaeresis ecthlipsis synaliphe antithesis et metathesis. sed hi quattuordecim septem sunt: nam omnis metaplasmus habet contrarietatem; puta ille fit per productionem, ille fit per correptionem, iste fit per additionem, ille fit per contractionem . . .“ 3) V. p. 387, 31 sqq. 4) etym. I. 35. 5) De diversis artis vocabulis idem significantibus infra agemus. 6) VI. p. 451, 26 sqq. „huius species sunt plurimae, sed maxime necessariae hae, prothesis, epenthesis, paragoge, aphaeresis, quae et encope vocatur, syncope, apocope, antithesis, metathesis, systole, ectasis, diaeresis, episynaliphe ⟨synaliphe⟩ ecthlipsis, protheseon parallage.“ Diaeresis in exemplis ennarrandis (at cf. p. 449, 1), synaliphe in artis vocabulis enumerandis desideratur.

systolen ante ectasin posuit, quod tamen quinto decimo loco protheseon parallagen adiungit nemo non iure miretur.

Neque tamen is solus hunc metaplasmum addidit, verum etiam Diomedes,[1]) quem Charisii atque Donati doctrinam commiscuisse Ioannes Tolkiehn luculenter demonstravit,[2]) per appendicem post reliquos metaplasmos exemplis illustratos, eadem fere tradit. Quod quo facilius intellegatur, utriusque verba exscribam:

Sacerd. VI. p. 453,9 sqq.	Diom. I. p. 443,1 sqq.
„De protheseon parallage.	„De protheseon parallage.
Protheseon parallage est,	Protheseon parallage est,
cum altera praepositio pro altera	cum alia quam debet praepositio
ponitur, ut "'cui tantum de te licuit?"'	ponitur, ut "'cui tantum de te licuit?"'
pro "'in te"'.	pro "'in te"'.

Quo consensu cum planissime efficiatur, ut hic metaplasmus, qui vulgo[3]) et a Diomede ipso[4]) inter soloecismos habetur, e Sacerdotis libro repetitus sit, qua via ad Diomedem pervenerit, quaestio oritur.

Quod dum reputamus, haud displicet, quod Tolkiehn l. l.[5]) Diomedem Charisii exemplari aliquanto nostro ampliore usum esse coniecit.

Hic quamquam ultra coniecturas progredi non licet, quam inscite Charisii et Donati doctrinam inter se coniunxerit Diomedes altero praeclarissimo exemplo demonstrare nobis in promptu est. Etenim cum Charisius, ut supra vidimus, prosparalepsin vocet adiectionem litterae in extrema parte vocis factam, Donatus

---

1) I. p. 443, 1 sqq. 2) cf. Woch. f. kl. Phil. 1908. p. 194 sqq. 3) cf. e. g. Char. I. p. 266, 30 sqq. 4) I. p. 455, 1 sq.: „decimus modus ⟨soloecismorum⟩ fit per praepositiones." 5) cf. p. 30.

paragogen, Diomedes adeo non haec vocabula eandem vim habere intellexit, ut solus ex omnibus grammaticis et in artis vocabulorum congerie et in exemplis enarrandis utrumque afferat singulis ex Charisio et Donato exemplis depromptis.

IV.

Quam difficile sit, barbarismi notionem satis certis lineis adumbrare atque a ceteris orationis vitiis discernere quicumque diligenter cognoverit, fieri potuisse non mirabitur, ut saepe grammatici nescirent, quo nomine nonnullas elocutiones ab emendato dicendi genere abhorrentes appellarent. Quae cum ita sint, operae pretium fore spero quasi corollarium quoddam de dubiis et notabilibus barbarismis metaplasmisque quaestionem adnectere.

§ 1.

In myotacismos labdacismos iotacismos hiatus conlisiones aliaque linguae vitia, utrum in numerum barbarismorum ascribantur necne, inquirunt grammatici hi:

Quint. I. 5,32. Donat. IV. p. 392,27 sqq. Diom. I. p. 453,3 sqq. Serv. comm. in Donat. IV. p. 445,6 sqq. Pomp. V. p. 286,6 sqq. Cons. V. p. 393,5 sqq. p. 395,1 sqq. Isid. etym. I. p. 32,5 sqq.

Quorum Quintilianus quidem, qui singularem locum obtinet, vitia ea oris et linguae, quos Graeci *ἰωτακισμούς* ⟨et *μυτακισμούς*⟩ et *λαβδακισμούς* et *ἰσχνότητας* et *πλατεασμούς* vocent, atque inenarrabiles quosdam nationum singularum[1]) proprios sonos et ipsos universo barbarismi nomine amplectitur.

Donatus vero et qui eum ad verbum exscripsit Diomedes myotacismos labdacismos iotacismos hiatus

[1]) cf. Cons. p. 395, 2 sq.; 17 sqq.

conlisiones[1]) et omnia quae plus minusve sonantia ab eruditis auribus respuantur, quae hic pronuntiationis vitia, ille malas conpositiones sive cacosyntheta nominat, quamquam nonnullis barbarismos visos esse commemorant, barbarismis aut attribuenda aut abiudicanda pertinacibus relinquunt.

Quibus pertinacium partibus susceptis Servius, cuius explicatio satis obscura et corrupta[2]) est, et qui ex eo mutuatus est Pompeius ita de ea re disceptant, ut barbarismi et soloecismi definitione nixi iotacismos et labdacismos, quippe qui in una voce reperiantur, barbarismis, cetera soloecismis assignent.

Consentius denique cum grammaticos mytacismos labdacismos iotacismos solos respexisse improbet, quoniam aliae quoque idem praestent litterae, id genus barbarismi fieri arbitratus, cum aut exilius aliquid aut pinguius sonaret non in solis istis tribus litteris sed etiam in aliis quibusdam, singularum nationum ratione habita perlustrat litteras m, i, l, t, c, s, v.

§ 2.

Pluralia singulariter et singularia pluraliter prolata quomodo accipienda sint, valde discrepant inter se grammatici.

Quin etiam Quintilianus I. 5,16. absurdum fortasse videri ait quosdam barbarismum sicut soloecismum per

---

1) Eadem vitia Isidorus in capite, quod de barbarismis composuit, affert. 2) In codicibus enim legitur IV. p. 445, 25 sqq.: „nam si barbarismus est vitium factum in una parte orationis, tantum n o n erit barbarismis adplicandus iotacismus et labdacismus, qui in singulis fiunt partibus orationis; ceterum myotacismus hiatus et conlisiones, quoniam n o n numquam in una parte orationis possunt effici.“ Haud scio an recta sententia hac correctione possit erui, ut voculas „non“ lineolis notatas deleamus et post „effici“ lacunam statuamus.

numeros aut genera fieri velle. Talia enim, ut 'scala' atque 'scopa' et 'hordea' atque 'mulsa', quamquam litterarum mutationem detractionem adiectionem habeant, tamen non alio modo vitiosa esse ac si pluralia singulariter et singularia pluraliter efferantur. Porro si quis 'gladia' dicat, eum genere excidere.

At Donatus IV. p. 393,14 sqq. multis dubium fuisse commemorans, utrum 'scala' 'quadriga' 'scopa' soloecismus an barbarismus esset, id genus dictionis barbarismum esse vel ex ipsius definitione facile agnosci posse affirmat. Ab eius partibus stant cum Servius comm. in Donat. IV. p. 446,15 sqq. et Pompeius V. p. 290,5 sqq., tum Diomedes, qui I. p. 455,30 sqq. Donati doctrinam ad verbum expressit.

Consentius vero V. p. 396, 4 sqq. illa barbarismi exempla esse negans, quia singulariter aut pluraliter melius latine dici non possint, ibi soloecismum numero factum esse putat.

§ 3.

Ea quoque posita est quaestio, si uni dicas 'habete' vel virum demonstrans 'hanc', utrum haec in barbarismos an in soloecismos referenda sint.

Atque omnes sane grammatici latini,[1]) qui de ea re agunt, hunc soloecismum 'in uno verbo, non in solo verbo' esse existimant, quoniam vocabulum ad interrogationem vel demonstrationem pertineat, ut vim contextae orationis habeat.

Quamquam apud Graecos non desunt, qui soloecismum una voce contineri negent.[2])

---

[1]) Quint. inst. orat. I. 5,38. Sacerd. VI. p. 457,20 sq. Donat. IV. p. 393,10 sqq. Serv. com. in Donat. IV. p. 446,5 sqq. Pomp. V. p. 289,16 sqq. cf. Valckenaerii Ammon. p. 203. [2]) e. g. Apoll. Dyscol. de construct. ed. Uhlig. 1910. p. 273,9 sqq. p. 274,21: „*οὐκ ἄρα ἀληθὲς τὸ ἐν μιᾷ λέξει σολοικισμὸν γίνεσθαι.*“

§ 4.

Barbarismi qui dicuntur oratorum sive malae compositiones sive structurae malae vel contra rationem temporum factae commemorantur apud Serv. com. in Donat. IV. p. 445,30 sqq. Pomp. V. p. 288,18 sqq. Cons. V. p. 393,5 sqq.[1])

De his quae vulgo appellantur clausulis ea est grammaticorum sententia, ut Servius et Donatus plane eas a barbarismis seiungendas arbitrentur, Consentius, qui fusius eam rem tractat, in barbarismi crimen redigat, quoniam adiectione vel detractione temporis fiant.

§ 5.

Eodem spectat perobscurus quidam barbarismus 'Afer' et 'Hispanus' qui solus in fragmento codicis Bobiensis de structuris conscripto VI. p. 628,16 sqq. occurrit.

Auctor eius enim, postquam optimas clausulas eas esse affirmavit, quae ex trochaeo et molosso constarent: „Si autem," inquit, „volueris ampliationem facere, praeponis istis pedibus quinarum syllabarum quosvis alios in elocutione, qui quidem non quaeruntur si longi sunt aut breves (hoc etenim tantum requiretur, paenultimus et ultimus, non antepaenultimus et superiores) excepta hac structura, quae quinque breves habet et est barbarismus Afer, vel ex longis Hispanus."

Haud scio an cum his verbis conferre liceat, quod Consentius V. p. 392,11 sq.[2]) voces correpta syllaba pronuntiare barbarismum Afrorum proprium esse tradit.

---

[1]) eodem spectat, quod exstat apud Prob. Cath. IV p. 41, 7 sqq. Sacerd. VI. p. 493, 11 sqq. [2]) „⟨barbarismus factus detractione⟩ temporis, ut siquis dicat 'orator' correpta priore syllaba, quod ipsum vitium Afrorum speciale est."

Quamquam idem V. p. 392.2 sqq.[1]) etiam producta syllaba vocem pronuntiare Afrorum familiare asseverat, id quod potius Hispanorum esse ex distinctione in fragmento Bobiensi obvia exspectaveris.

§ 6.

Consentius denique V. p. 398.1 sqq. omnia ea vitia, quibus speciale nomen non sit, ad barbarismi generale nomen referenda esse censet, velut si quis ex imperitia ‘tyrannicidas’ pro ‘tyrannnis’ dicens in sensu, ‘sanguintinos’ pro ‘sanguineis’ in historia, ‘invictissimum ducem’ vel ‘infidelissimum amicum’ in gradatione errorem committat.

Iam satis verba mihi fecisse videor de barbarismis dubiis et legentibus aperuisse, quae fuerit grammaticorum in vitiis distribuendis et cautela et dissensio. Sed ea, quae adhuc disputavimus, non solum ad barbarismum, verum etiam ad metaplasmum pertinent. Itaque e re erit, de hoc quoque genere nonnulla adicere.

§ 7.

Atque, ut a Diomede exordiar, apud hunc grammaticum I. p. 440.5 sqq. haec scripta videmus:

„Quinque sunt linguae Graecorum, Ias Doris Atthis Aeolis coene, iuxta has igitur quinque linguas et latina verba comprehensa colliguntur hoc modo . . . . Doris in singulis partibus orationis nunc adiectioni nunc brevitati studens barbarismos facit, quos cum sibi vindicaverint docti, metaplasmos appellant, ut

---

[1]) „‹barbarismus factus adiectione› temporis, ut quidam dicunt ‘piper’ producta priore syllaba, cum sit brevis, quod vitium Afrorum familiare est.“

'Teucorum mirantur inertia corda'

pro Teucrorum,[1]) et

'aggere moerorum'

et

'aulai medio'."

Dialectorum diversarum observationem cum a Romanorum consuetudine non prorsus alienam fuisse notum sit,[2]) tamen nec similia atque Diomedes in medium protulit, alias quantum video, occurrunt et hoc falso ex lingua Graeca ad Latinam videtur esse translatum.

§ 8.

Cavendum esse praecipit Consentius V. p. 391,18 sqq., ne verborum, quae bifariam latine dicuntur, velut 'honos' et 'honor', 'arbos' et 'arbor', alterutram formam metaplasmis ascribas.

§ 9.

In fragmento illo incerto Sacerdotis, quod supra[3]) attigimus, post alios metaplasmos VI. p. 449,7 sqq. tmesis tractatur.

Quam cum vulgo[4]) fere atque, id quod admirationem movet, a Sacerdote ipso VI. p. 466,25 sqq. tropis inseratur, errore quodam illuc pervenisse prima specie censeas.

---

1) cf. Char. I. p. 55, 21 sqq. „Amforum an amforarum dicendum sit quaeritur. ⟨amforum in consuetudine est⟩ sed cum eadem suavitas in utraque enuntiatione ⟨sit, non video quare quis bar⟩barum malit, cum aures simili pretio recta dilectent." 2) cf. Quint. VIII. 3,59 sq. Vel. Long. de orth. VII. p. 51, 5 sqq. 3) p. 7. 4) cf. Char. I. p. 275, 10 sqq. Donat IV. p. 401, 14 sqq. Anecd. Helv. p. 271, 29 sqq. Diom. I. p. 460, 30 sqq. Pomp. V. p. 309, 26 sqq. Victor. VI. p. 39, 1 sq. Isid. etym. I. 37, 19.

Sed exstat argumentum gravissimum, quo tmesin inter metaplasmos recte collocatam esse confirmatur. Etenim Consentius V. p. 390,29 sqq. unus tmesin caute percensens et eos, qui vocem tmesi discissam unam orationis partem esse rati metaplasmi vocabulo, et eos, qui duas voces esse contendentes tropi vocabulo utantur, suo iure facere exponit.

§ 10.

Eiusdem fragmenti extremo loco[1]) Sacerdos adnectit metaplasmum, cui nomen enallaxin sive enallagen alias a Romanis non usurpatum dat. Quem fieri ait, cum contra naturam suam verbum positum hoc significet, ac si verbum ⟨proprium⟩ ponatur, ut sit 'rursum' et 'rursus'.

Diligenter hunc locum contemplantibus nobis enallagen nihil aliud esse nisi immutationem apparet. Sed cum immutatione per qualitatem verborum facta metaplasmum enallages fieri dicat, quomodo soloecismum oriri et ceteri[2]) et ipse VI. p. 450,5 sqq. vult, hoc loco id spectare videtur, quod in exemplo allato littera ultima mutatur.

Quamquam is fuisse videtur antiquorum mos, ut aut complures vocis 'rursus' formas[3]) probarent aut unam optimam esse contenderent. Certe 'rursus' et

---

1) VI. p. 449, 10 sqq. 2) cf. Rem. Palaem. apud Char. I. p. 263,15 sq. Comin. apud Char. I. p. 266, 20 sqq. Donat. IV. p. 393, 27 sqq. Serv. com. in Donat. IV. p. 446, 31 sqq. Serg. expl. in Donat. IV. p. 563, 9 sqq. Diomed. I. p. 454, 25 sqq. Pomp. V. p. 291, 1 sqq. 3) e. g. Priscian. III. p. 75, 14. p. 78, 1. Vel. Long. de orthogr. VII. p. 79, 5 sq. cf. Ritschel. opusc. philol. II. p. 259 sqq. Neue-Wagener, Formenlehre. Lips. 1892. II.³ p. 748 sqq. Georges, Lexikon der lat. Wortformen, Lips. 1890. p. 606, qui Sacerdotis locum non respiciunt.

'rursum' significatione inter se differre quantum video nunquam alias a Romanis statuitur.

§ 11.

Iam brevi disceptatione percurramus modos quosdam aut barbarismi proprios, qui in metaplasmos, aut metaplasmi proprios, qui in barbarismum quoque abire videntur.

Consentius[1]) enim posteaquam per aspirationem et accentus metaplasmos non exsistere confirmavit, fieri posse concedit, ut aliquis 'pone' metaplasmum per transmutationem accentus esse dicat. Quae quid sibi velint, ut perspiciatur, illud tenendum est eam repertam esse a grammaticis[2]) ad verba similia discernenda diversitatem, ut pone adverbium et praepositionem ultima acuerent, ne cum imperativo a verbo 'ponere' derivato confunderetur (cf. Consentius p. 347,6).

Quare Consentius sententiam supra allatam comprobare valde dubitat, quoniam transmutatione accentus significatio quoque mutetur.

Alterum quod attendi volumus in eiusdem commentatione p. 392,28 sqq. obviam fit, ubi barbarismos quoque metaplasmis quibusdam, qui proprie appellarentur, similes fieri concedit. Exempli causa nominat

---

1) V. p. 390, 21 sqq. 2) cf. Donat. IV. p. 371,28 sq. Dosith. VII. p. 379, 6 sq. Aud. exc. VII. p. 330, 18 sq. Serv. com. in Donat. IV. p. 439, 28 sq. Diom. I. p. 433, 5 sqq. Pomp. V. p. 131, 1 sqq. p. 251, 12 sq. Cledon. V. p. 33, 27 sqq. p. 68, 33 sqq. Cons. V. p. 347, 5 sqq. Serg. expl. in Donat. IV. p. 484, 5 sqq. p. 525, 12. Jul. Tolet. Anecd. Helv. CCXXXIII., 17 sqq. Verg. gram. Anecd. Helv. p. 190, 13 sqq. Com. Einsidl. Anecd. Helv. p. 229, 8. p. 261, 13 sqq. cf. Quint. I. 5, 26. Char. I. p. 111, 27 sqq. Mirum sane, quod apud auctorem de ult. syll. IV. p. 254, 16 sqq. exstat „pone ‹praepositio› trochaeo constat: nam accentu solo ab adverbio discernitur." cf. Diom. I. p. 409, 20 sq. „aliae ‹praepositiones› mutato accentu in adverbia accedunt."

diaeresin et episynaliphen. Etenim si quis dicat ‘uam passam’ pro ‘uvam passam,’ nonne videri esse episynaliphen, atque si quis ‘soluit’ dicat pro ‘solvit’ disyllabo, nonne esse diaeresin?

Quod quoniam scriptores iniuria praetermisisse contendit, fugisse eum videtur Quintilianum certe in barbarismos inquirentem I. 5,17 eiusdem rei mentionem facere, quamvis exempla ex communi oratione deprompta non afferat.

§ 12.

Unum restat, quod quoniam huc progressi sumus, praeterire nolumus.

Quae sit vitiorum varietas, qui penitus perspexerit, grammaticos summa diligentia locos indagavisse, ubi plura vitia una laterent, non magnopere mirabitur.

Neque pauca exstant eius generis exempla, in quibus inveniuntur duo barbarismi vel productione temporis et adiectione litterae[1]) vel adiectione litterae et transmutatione litterae[2]) vel immutatione et transmutatione litterarum[3]) orti.

Porro Consentius duo nomina appellativa affert, quorum in altero[4]) „strenuam" barbarismus adiectione litterae et soloecismus numero[5]) factus in altero[6]) „socrum" barbarismus detractione litterae et soloecismus regula vocis neglecta factus inest.

---

[1]) Cons. V. p. 396, 30 sqq. Quod idem de voce ‘apse’ ex ‘capse’ orta addit, errori tribuendum esse videtur. [2]) Cons. V. p. 397, 13 sqq. [3]) Quint. I. 5, 12. De eadem vitii geminatione in Ennii „Mettioeo Fufetioeo“ cernenda non satis liquet. cf. Vahlen Ennius.[2] Lips. 1903. ann. 126. [4]) Cons. V. 396, 23 sqq. [5]) cf. p. 396, 25 sq. [6]) Cons. V. p. 392, 8 sqq.

Simili modo in carminibus cernuntur duo metaplasmi in una voce vel antithesi et diaeresi[1]) vel epenthesi et diaeresi,[2]) vel syncopa et episynalipha[3]) orti.

Nonnunquam etiam fit, ut in una eademque parte orationis metaplasmus et soloecismus deprehendantur.[4])

Quas partiendi et definiendi spinas quamquam non semper vulsas esse per se patet, tamen ad ostendenda et declaranda pueris vitia maxime aptas fuisse non est negandum.

V.

Priusquam singulorum generum exempla litterarum ordine digesta legentibus proponam, id volo teneas, quod cum Quintilianus I. 5,11 tum Consentius V. p. 391,25 sqq. tangit, grammaticos plerosque sive imperitia sive iactatione quadem sive neglegentia adductos eadem saepe et metaplasmi et barbarismi exempla ex poetarum carminibus repetita afferre.

§ 1. Barbarismi orti

a) adiectione

α) litterae.

audiveram — audieram.

Aud. exc. VII. p. 361,25. Iul. exc. V. p. 324,5. Quamquam „audieram" forma vetustior et usitatior putatur, tamen quoniam usus inter duas formas fluctuat, grammatici non habent, cur barbarismum iudicent illam. cf. Solmsen, Stud. z. lat. Lautgesch. Argent. 1894 p. 179. Niedermann, Histor. Lautl.[2] Heidelb. 1911 p. 66 sq. Sommer, Handb. d. lat. Laut- u. Formenl.[2] Heidelb. 1914 p. 566 sqq. Neue-Wagener. III.[3] p. 459 sq.

---

[1]) Cons. V. p. 397, 3 sqq. [2]) Cons. V. p. 397, 7 sqq. [3]) Cons. V. p. 397, 10 sqq. [4]) Cons. V. p. 397, 16 sqq.

Catillina — Catilina. (Catilinna Keil.)

Pomp. V. p. 283,35 sq.

Pompeium hanc formam „Catillina“ scribendi rationem ex poetae alicuius libro repetivisse verisimile est, quippe quae una cum „relliquiae“ afferatur: „puta si ego in soluta oratione velim dicere „relliquias“ „Catillina“ („Catilinna“), facio barbarismum.“ Ea vero quam recepit Keilius forma „Catilinna“ nusquam occurrit, cum saepissime in codicibus legatur „Catillina“ l littera geminata. cf. Wölfflin, Arch. f. lat. Lexik. I. p. 278. Thes. L. L. suppl. Nom. Propr. Lat. I. p. 259 sq. Quare cum nec syllaba n interposita producatur et omnes fere codices „Catillina“ exhibeant, Keilium codicem B secutum a vero aberravisse apertum est. Quae nisi frustra tentavi, magnopere inter se differre duo exempla apparet, quorum „relliquias“ metri gratia a poeta positum est, cum „Catillina“ fortasse commutatum cum „Catillus“ sive „Catillius“ pro forma recta versui heroico aptissima „Cătĭlīna“ falso scriberetur.

cottidie — cotidie.

Cons. V. p. 392,1.

Et in inscriptionibus et in codicibus utraque forma saepissime legitur. Aetate demum imperatorum t simplicem vulgo positam esse cum ab aliis tum hoc grammatici praescripto demonstratur. cf. Neue-Wagener. II.[3] p. 653. Thes. L. L. s. v. p. 1091. Solmsen p. 34. Walde, Lat. Etym. Wörterb.[2] Heidelb. 1910. p. 196. Sommer. p. 207.

legites — legite.

Aud. exc. VII. p. 361,25. Jul. exc. V. p. 324,6.

Hic imperativus, de quo quantum video nemo adhuc vir doctus egit, exemplo videtur carere. Inde eum fluxisse suspicor, quod s litera de indicativi praesentis pluralis numeri persona altera posterioribus saeculis saepe pro

imperativo adhibita[1]) ad imperativi formam iustàm adiecta est.

coperit — operit.

Cons. V. p. 387,36. p. 392,1.

Non satis apparet grammaticus utrum „cōperit" formam contractam quasi solis poetis concessam contendat, an perversam hominum locutionem „cŏperit" improbet. Hoc tamen, quoniam grammaticus de adiectione litterae neque productione syllabae agit, significari veri similius est.

quandius — quandiu.

Cons. V. p. 392,2.

Eadem vocabuli forma cum in inscriptionibus inveniatur[2]) et cum „dius" pro „diu" et „interdius" pro „interdiu" haud raro occurrat.[3]) in usum frequentem venisse videtur. cf. Solmsen. p. 191 sqq. Walde. p. 237. Roensch. Itala u. Vulgata², p. 237.

„relliquias Danaum" (Aen. I. 30) — reliquias.

Com. apud Char. I. p. 265,13. Donat. IV. p. 392,11.

Diom. I. p. 452,7. Serv. com. in Donat. IV p. 444,11; 18.

Pomp. V. p. 283,14; 35. p. 284,30. p. 285,11. Jul. exc. V. p. 324,4.

Iam videmus, id quod p. 46 commemoravi, exemplum ex poeta depromptum, quod idem in epenthesis quoque exemplis occurret, ad barbarismum illustrandum adhiberi. Servius l. l. et Pompeius l. l. soli eius confusionis memores verba addunt: „si in soluta oratione velim dicere, barbarismum vocaremus".

---

[1]) cf. itis C J L IV. 3494. valetis C J L IV. 4123. cf. Guil. Baehrens Glotta. V. 1913. p. 79 sqq. Sommer p. 518. [2]) e. g. C J L VI. 3101. 6308. [3]) cf. Neue-Wagener, II. p. 651 sq. Lindsay-Nohl. p. 637 sq.

Hac forma, cuius exempla et titulorum et carminum scriptores multa exhibent, poetae metri causa usi sunt. De origine cf. Sommer. p. 208.

gruit — ruit.

Cons. V. p. 392,1.

Ea vox, quoniam a clangore gruino non derivari potest, quo pertineat satis obscurum. Afferre liceat, quod Loewe Prodromi Corp. Gloss. Lat. Lips. 1876. p. 118 ex codice quodam Leidensi protulit: „gruit: imminit, incumbit". Hinc patet „gruit" verbum simplex esse, a quo „congruit" et „ingruit" derivatum est, cum vocabulo „ruit" et Homerico „ἔχραον" cognatum. cf. Walde s. v. „ruo" Boisacq p. 1068.

tottum[1]) — totum.

Cons. V. p. 392,1.

‚tottum' inter ea verba cadit, in quibus homines plebei via et ratione non satis perspecta consonantem geminaverunt. cf. Sommer. p. 204. Aliter Meyer-Lübke. p. 668.

β) syllabae.

„nos abiisse rati" (Aen. II. 25.) — abisse.

Comin. apud Char. I. p. 265,13. Donat IV. p. 392,12. Jul. exc. V. p. 324,6.

Hoc exemplum barbarismi et ipsum ex Vergilio repetitum in metaplasmis numerandum est. Itaque grammaticorum aetate homines Latini formam contractam „abisse" solam pronuntiabant, cum Plautus Vergilius Statius non minus „abiisse" „periisse" similia adhibuissent. cf. Sommer. p. 588.

---

[1]) cf. ital. „tutto".

alituum (Aen. VIII. 27.) — alitum.

Diom. I. 452,12.

Tertium barbarismi exemplum ex poeta arcessitum. Insolens ea forma a poetis non ita raro usurpata[1]) a Lucretio metri causa pro „alitum“ ad versum heroicum non apta videtur ficta esse. cf. Sommer. p. 405 sq.

celerissimus (Enn. ann. 592. cf. 460. V. — celerrimus.

Char. I. p. 83,22 sqq.

Iam in iis quae sequuntur metaplasmi exempla loco barbarismorum a grammaticis laudata nomine poetae addito significare satis erit.

Idem superlativus usurpatur a Cn. Matio frg. 4. ed Aem. Baehrens. p. 281. cf. Neue-Wagener II. p. 188. C. Gl. Lat. IV. p. 140,25. p. 141,23. „Celerrimus“ legitur inde a Cicerone.

induperator (Enn.) — imperator.

Serv. com. in Donat. IV. p. 444,18. Pomp. V. p. 285,21. p. 297,1. cf. Prisc. III. p. 109,16 sq.

Prisca illa forma, quae ab Ennio metri dactylici causa ficta est, grammatici inter barbarismos numerant. cf. Keller, Gram. Aufs. p. 191. n. 2. Keller, Lat. Etym. Lips. 1893. p. 81. Lindsay-Nohl. p. 670. Seelmann. p. 281. Sommer. p. 101. n. 2. Locos collegit Georges, Lex. d. lat. Wortf. p. 339, quibus addas C. Gl. Lat. IV. p. 91,12. p. 92,7. p. 353,2. 531,7. V. p. 210,43. p. 302,2. p. 368,2.

Mavortis in antro. (Aen. VIII. 630.) — Martis.

Diom. I. p. 452,9.

Ut „Mars“ formam usitatam, ita „Mavors“ sublimioris orationis esse omnes consentiunt. Quae vero ratio inter-

---

[1]) cf. Neue-Wagener I. p. 429. Thes. L. L. I. 1514.

cedat inter eas, viri docti adhuc ambigunt. cf. Solmsen. p. 76 sqq. Walde. p. 467. Sommer. p. 116. Locos invenis collectos apud Georges, Lex. d. lat. Wortf. p. 410. Neue-Wagener. I[3] p. 297.

„nec Polyhymnia Lesboum refugit tendere barbiton" (Hor. c. I. 1,33.) — Polhymnia.
Rem. Pal. ap. Char. I. p. 266,3.

Graeci, quantum perspici potest ex Pape-Benseler. II. p. 1228, forma *Πολυμνία* sola videntur usi esse. Romani vero poetae „Polyhymnia," quantum video,[1] semper scripserunt.

prandidi — prandi.
Aud. exc. VII. p. 362,2. cf. Prob. inst. IV. p. 184,18 sqq. Diom. I. p. 355,3.

Non debet dubitari, quin „prandidi" forma recentioris sermonis vulgaris sit. cf. H. Roensch, Itala und Vulgata.[2] Mar. 1875. p. 288. De eo genere perfectorum cf. Buecheler, Rh. Mus. 59. p. 34 sq. Sommer. p. 549.

tutrusit — trusit.
Cons. V. p. 392,2.

Perfectum exemplo carens, quod et reduplicatione et littera s fictum est, cum forma „tutudit" confusum videtur. cf. Sommer. p. 569.

„numquam huc tetulissem pedem" (Terent. Andr. 808.) — tulissem.
Diom. I. p. 452,11.

Loco formae genuinae „tetulissem" paulatim forma „tulissem" Plauti fere aetate orta ita increbruit, ut illa post Catullum plane obsolesceret cf. Neue-Wagener. III. p. 346. Lindsay-Nohl. p. 568. Sommer. p. 548. p. 552.

---

1) cf. Verg. Cir. 55. Ovid. Fast. V. 9. Mart. IV. 31, 7.

γ) temporis.

„exercet Dīana chorum“ (Aen. I. 499.) — Dĭana Aud. exc. VII. p. 362,9.

„Italiam fato profugus“ (Aen. I. 2.) — Ĭtaliam.

Com. apud Char. I. p. 265,12. Donat. IV. p. 392,13.

Serv. com. in Donat. IV. p. 444,19. Diom. I. p. 452,3.

Pomp. V. p. 285,22. Jul. exc. V. p. 324,7. cf. Quint. I. 5,18.

Quae modo attuli duo exempla non barbarismi sed metaplasmi ectasi sive productione orti sunt. Atque Audax quidem recte monere videtur, ut „Diana“ vocabuli prima syllaba correpte adhibeatur. „Italia“ prima syllaba correpta Lucilii probatur versu 825 (M.) „detrussus tota vi deiectusque Italia“ Sed cum Graecorum exemplo tum propter metri necessitatem poetae productionem a consuetudine et usu vitae abhorrentem semper fere usurpavisse videntur. cf. Guil. Schulze, Quaest. Epic. Guetersl. 1892. p. 153 sq.

Iam subiungam tria barbarismi exempla perversa vocalium brevium pronuntiatione orti. Quod vitium linguae vulgaris proprium inde fluxit, quod vocales syllabarum apertarum accentus vi paulatim productae sunt. cf. Sommer. p. 130.

„ut quidam dicunt „pīper“ producta priore syllaba, cum sit brevis, quod vitium Afrorum familiare est.“

Cons. V. p. 392,3 sq.

„si naturaliter breves producamus, ut „rōsam“.

Serv. com. in Donat. IV. p. 444,4.

Nescio an adiungendus sit Sacerd. VI. p. 451,5.

„ac si dicas „pērnix“ et „per“ producas, quae correpta est.“

δ) accentus.

Dignum videtur quod commemoretur Donatum nullum huius generis exemplum afferre, si quis inquirat, ultro ea se offerre adicientem.[1])

Donat. IV. p. 392,22 sqq.

„si velis dicere „ârma" pro eo quod est „árma".

Pomp. V. p. 285,24. cf. p. 126,7. cf. Seelmann. p. 57. Sommer. p. 121.

Ea doctrina ex lingua graeca videtur esse translata.

„accentu, ut „hic"; aliter enim pronomen, aliter adverbium pronuntiandum est."

Serv. com. in Donat. IV. p. 444,20 sq.

Recte grammaticus hoc monet, cum vocalis i in pronomine „hĭc(c)" brevis, in adverbio „hīc(e)" producta sit. cf. Lindsay-Nohl. p. 652 sq. Sommer. p. 423. cf. Tolkiehn, Jahresb. des phil. Vereins zu Berlin XLIII p. 75 sqq.

„ut siquis dicens „tríginta" priorem syllabam acuat et sequentum graviter enuntiet, qui modus et per immutationem fieri videtur."

Cons. V. p. 392,4 sqq.

De loco accentus in lingua vulgari mutato cf. Seelmann. p. 53. p. 391 sqq. Sommer. p. 89.

ε) aspirationis.

Huius generis exstat praeter alia Catulli lepidissimum epigramma 84, quo merito sale Arrium, pexum pinguemque patronum aspirationis nimis amantem, perfricat. cf. Birt, Der Hiat. Mar. 1901. p. 40 sq. Seelmann. p. 264 sqq. Sommer. p. 199 sqq.

---

[1]) „toni quoque similiter per has quattuor species commutantur. nam et ipsi adiciuntur detrahuntur immutantur transmutantur. quorum exempla ultro se offerent, siquis inquirat."

chenturiones — centuriones.

Quint. I. 5,20.[1])

chommoda — commoda.

Cat. 84,1.

chorona — corona.

Quint. I. 5,20. Com. apud Char. I. p. 265,22. Diom. I. p. 452,13.

Exstat C J L X. 5372. XI. 1450 „choronarius".

Hebrum — Ebrum.

Cons. V. p. 392,21 sq. cf. Seelmann. p. 265.

„hemo — emo".

Diom. I. p. 452,11. cf. Seelmann. p. 265.

hinsidias — insidias.

Cat. 84,2; 4.

Hionios — Jonios.

Cat. 84,12.

A Catullo forma aspirata per iocum Arrio videtur attributa. Tamen non praetermittam quod apud Mart. Cap. p. 237,10. codex B. „Hioniae" exhibet.

homen — omen.

Cons. V. p. 392,6.

Confusum videtur cum casibus obliquis vocis „homo".

homnia — omnia.

Pomp. V. p. 285,27.

In codicibus et diplomatibus non rara cf. Birt. p. 145. 159. 223 sqq. 261. adde. C J L XIV. 3323.

hora — ora.[2])

Sacerd. VI. p. 451,6.

horcus — orcus.

Serv. com. in Donat. IV. p. 444,21. Seelmann. p. 265. Walde. p. 546.

---

[1]) „erupit brevi tempore nimius usus, ut choronae, chenturiones, praechones adhuc quibusdam inscriptionibus maneant, qua de re Catulli nobile epigramma est." Exempla desunt.
[2]) cf. p. 64.

praechones — praecones.

Quint. I. 5,20.

a) detractione.

α) litterae.

Achiles — Achilles.

Serv. com. in Donat. IV. p. 444,23.

Nomen perverse simplici consonanti scriptum, quod saepe occurrit in inscriptionibus aetatis imperatorum,[1]) barbarismus improbatur.

calcai — calcavi.

Prob. iust. IV. p. 182,15 sq.

Forma insolens ut perfecta in „ivi“ — „ii“ exeuntia facta nonnunquam in titulis legitur. e. g. C J L VIII. 5667 „dedicait“ X. 216 „laborait.“ cf. Solmsen. p. 175. Sommer. p. 565.

columa — columna.

Pomp. V. p. 283,11. cf. Quint. I. 7,29.

Satis credi potest „columam“ vocem loco „columnae“ formam vulgarem assimilatione cuius rara exempla in titulis exstant[2]) ortam esse. cf. Seelmann. p. 288. Lindsay-Nohl. p. 81. Sommer. p. 232.

domu — domum.

Diom. I. p. 452,28.

Littera „m“ in fine vocabulorum et a loquentibus et a scribentibus iam antiquissima aetate persaepe neglecta a grammatico vituperatur. cf. Lindsay-Nohl. p. 78 sq. E. Diehl, De littera m finali epigr. Jahrb. f. klass. Phil. XXV. Suppl. Lips. 1899. p. 1 sqq.

floriet — florebit.

Isid. etym. I. 32,1.

C. Gl. Lat. III. p. 448,68. invenis „floriunt“,

---

[1]) cf. Thes. L. L. I. p. 391. [2]) cf. „Volummia“ C J L VIII. 6929.

„florere" in sermone vulgari in quartam declinationem abiit, id quod ex linguis Romanicis elucet. cf. Meyer-Lübke, Roman. Etymol. Wörterbuch, p. 253. s. v. „florire". Roensch. l. l. p. 284.

„infantibu parvis" Lucr. I. 186 — infantibus.
Donat. IV. p. 392,14.

Lucretius priscorum Romanorum more qui saepius litteram „s" in fine vocabuli positam ante consonantem neglegebant, „infantibu" scripsit. Aetate vero quam dicunt aurea latinitatis litterae s natura tam firma erat, ut grammaticus ei formae barbarismi nomen daret. cf. Lindsay-Nohl. p. 141 sq. Stolz, Lat. Laut- u. Formenl.[4] Mon. 1910. p. 156 sq. Niedermann. Hist. Lautl. d. Lat.[2] Heidelb. 1911. p. 57 sq. Sommer p. 303 sqq.

infatibus — infantibus.
Jul. exc. V. p. 324,9. cf. „infates" C J L X. 8139.

In titulis plebeis „n" ante consonantes mutas dentales haud raro omissa est. cf. Seelmann. p. 283 sqq. Sommer. p. 238.

mamor — marmor.
Pomp. V. p. 283,13.

„Mamor" ad dissimilationem liquidarum pertinet. cf. Lindsay-Nohl. p. 109. Sommer. p. 211 sq.

vilam — villam.
mile — mille.
Cons. V. p. 392,6 sq.

Formam „mile", cuius exemplum mihi quidem praesto non est, secundum „milia" ex gemina „mille" commutatam esse quis est qui neget? „Vilam" pro „villam" quomodo explicem nescio.

nutribam — nutriebam.
Aud. exc. VII. p. 362,1.

Dubitari potest, utrum fuerit „nutriebam" forma

genuina an „nutribam". Sed quoniam scriptores aureae aetatis „-iebam" praetulerunt, grammatici et ipsi, ut „nutriebam" dicatur, exigunt. cf. Sommer. p. 522.

nutriram — nutrieram.

Jul. exc. V. p. 324,9.

Simile huius formae contractae nil inveni, nisi vero comparare licet Catulli c. 68,85 „scirant".

Plionem — Polionem.

Com. apud. Char. I. p. 265,15.

Exemplo caret.

Porsena — Porsenna.

Pomp. V. p. 284,31. p. 285,11; 28.

Exemplum sive ex Horatio sive ex Martiali videtur repetitum. cf. Georges, Lex. d. lat. Wortf. p. 541. Eius vocabuli, quod Romani ab Etruscis mutuati sunt, duae erant formae „Porsenna" et „Porsina" sive „Porsena" velut „barginna" et „bargena" (cf. Capr. de orth. VII. p. 103,8.). Atque ea videtur fuisse litterarum e et i ratio, ut in formam vetustam „Porsina" secundum „Porsennam" a Vergilio usitatam e littera et ipsa invaderet. cf. Schulze. l. l. p. 90 n. 4. p. 245., Herbig, Festschrift f. E. Kuhn. Mon. 1916. p. 285. n. 3. p. 171 sqq.

„pretor ne rusticus fiat" (Lucil. 1130. M.) — praetor.

Diom. I. p. 452,18.

Haec pronuntiatio, quam rusticorum[1]) propriam Lucilius dicit, paulatim etiam in urbem invasit. Ita factum est, ut temporibus posterioribus persaepe ae et e inter se commutarentur. cf. Sommer. p. 71. Diomedes barbarismum Lucilio crimini dare videtur, cum poeta de

---

[1]) cf. Varro. d. l. l. V. 97. „in Latio rure „edus": qui in urbe ut in multis A addito „aedus"."

pronuntiatione Caecilii praetoris tradiderit. cf. Lucil. ed. Marx. II. p. 358 sq.

repsitum — repositum.
Diom. I. p. 453,2.

Quae syncopa cum nunquam alias inveniatur, non abest suspicio, quin editiones interpolatae, quae hoc loco „repostum"[1]) exhibent, genuinam lectionem praebeant, neque Keilio assentiri possum illud „repsitum" in textum recipienti.

socrum — socerum.
Cons. V. p. 392,9.

Quamquam formae et a nominativo „socer" et a nominativo „socerus" derivatae leguntur, tamen accusativi singularis forma syncopa orta, alibi non exstans in usu non fuisse videtur. cf. Neue-Wagener. I³ p. 119 sq. Sommer. p. 150. p. 336. n. 1.

tre — tres.
Quint. I. 5,15.

Quintilianus „tre pondo" barbarismum esse ait. In ea elocutione utrum nova radix „tre" statuenda sit an „trecenti" exemplar fuerit non liquet. cf. Lindsay-Nohl. p. 473. Sommer. p. 470.

β) syllabae.

„ut Praenestinis „conea" est „ciconea". Plaut. Truc. 691.
auct. d. ult. syll. IV. p. 263,9.

Quod quamquam auctor in metaplasmi aphaeresi facti exemplis affert, tamen barbarismum in regione illa usitatum fuisse existimandum est. Praenestinorum

---

[1]) passim obvia forma. cf. Neue-Wagener, III. p. 533. Georges, Lex. d. l. Wortf. p. 597 sq. adde C J L XII. 5402: „depostio". cf. Sommer, p. 606.

enim consuetudo videtur tulisse, ut vocales breves vel eas, quas urbani semper retinuerunt, omitterent. Recte scribi videtur „c'conea“ cf. Sommer. p. 137.

Cinna — Cinnamus.[1])

„Cinnam, Cinname, te iubes vocari.
‚Non est hic, rogo, Cinna barbarismus?“
Mart. VI. 17.

Quis ignorat libertinos persaepe nomen Romanum notum adsumpsisse, quo originem suam servilem obtegerent? cf. Friedländer, Sitteng. Roms. I.[6] p. 177 sq. Quem morem Martialis illudit grammaticae artis vocabulis usus.

chortes — cohortes.

Vel. Long. VII. p. 74,20 sq.

Ea pronuntiatio vulgaris permultis inscriptionibus probatur. cf. C J L V. 904. 905. 924. 925. 931. 933. etc. VII. 67. 112. 178. 214. 432. 488. 520 etc. VIII. 1583. 2887. 5364. 9393. IX. 435. 1627. 2564. 2853. etc. X. 532 etc. XII. 15. 1027. XIV. 221. 2619. 2953. etc. cf. Sommer. p. 201 sq. Roensch. l. l. p. 93.

„et non temnere divos“ (Aen. VI. 620.) — contemnere.

Diom. I. p. 452,21.

Metaplasmus encope,[2]) quo simplex pro composito ponitur.

---

[1]) Miro quodam errore ductus videtur Birt, cum libri qui inscribitur Kritik und Hermeneutik Mon. a. 1913 editi p. 118 hunc locum percenseret. Nam non solum nomina ita confundit, ut Cinnam se Cinnamum appellari voluisse contendat, sed etiam ibi metaplasmum exstare opinatur. Quod quomodo probari possit, qui diligentius barbarismi et metaplasmi discrimen cognoverit, vix intelleget, nisi forte vir doctus Cinnamo ille ipsi quoque quidquid temptaret dicere versum fuisse existimavisse putandus est. [2]) cf. p. 81.

currum — curruum.

Aud. exc. VII. p. 362,6.

Quoniam utraque forma et in „um“ et in „uum“ desinens inde ab antiquissimis temporibus in usu fuit, grammaticus formam contractam cum analogia discrepantem tamquam poetarum propriam in oratione pedestri improbare videtur. cf. Sommer. p. 393.

hilar — hilaris.

Prob. Cath. IV. p. 15,8 sq.

De forma vulgari „hilar“. cf. Sommer p. 336.

morat — moverat.

Cons. V. p. 388,20.

Grammaticus formam poetarum iam inde a Terentio propriam sed analogiae non respondentem in sermone pedestri non probat. cf. Neue-Wagner. III. p. 492. Sommer. p. 563. p. 564. n. 1.

nantes (Aen. I. 118.) — natantes.

Rem. Pal. apud Char. I. p. 266,7. Diom. I. p. 452,26.

Qua de causa grammatici „nantes“ repudient, non apparet. Haud scio an grammaticorum aetate solum „natare“ in usu fuerit, cum in linguis Romanicis formae nisi a verbo „natare“ derivatae non inveniantur. cf. Meyer-Lübke. p. 433.

paumentum — pavimentum.

Jul. exc. V. p. 324,10.

„Paimentum“ quamquam in inscriptione quadam exstat (cf. Sommer. p. 164), tamen non est, cur hoc loco pro „paumentum“ inseramus, cum vocabulum syllabae non litterae detractionem praestet. cf. Meyer-Lübke. p. 468.

„actae non alio rege puertiae“ Hor. c. I. 36,8. — pueritiae.

Rem. Pal. apud Char. I. p. 266,6.

cf. p. 83.

linque (Aen. X. 68) — relinque.

Diom. I. p. 452,25. cf. p. 104.

salmentum — salsamentum.

Com. apud Char. I. p. 265,16. Donat. IV. p. 392,15. Cons. V. p. 392,10. Jul. exc. V. p. 324,10.

His locis cum „salmentum“ barbarismus dicatur, Caper. VII. p. 101,8: „salmenta, inquit, proferre ne timeas, quia latinum est.“ Fusius de ea re agitur in cod. Monac. Emm. G. 121. V. p. 327,14 sqq.: „et salmentum et salsamentum dici potest. salmentum autem est purgamentum maris, salsamentum vero salsugo dicitur, in qua liquescit sal, ut carnes condiantur. siquis igitur sciens, quid sit salsamentum et quid salmentum, dixerit salmentum pro eo quod est salsamentum, per detractionem syllabae barbarismum facit.“

Inde certe cognoscitur formam ipsam quoque „salmentum“ haplologia quae mihi videatur ortam in ore hominum fuisse.

Eadem haplologia agnoscitur in:

vixe — vixisse

Serv. com. in Donat. IV. p. 444,23. cf. dixe, detraxe. Sommer. p. 589.

vixet — vixisset.

Pomp. V. p. 285,29. cf. Sommer. p. 588.

volup — voluptate.

Diom. I. p. 452,27.

Perperam grammaticus adverbium „volup“ ab adiectivo „volupis“ derivandum substantivum detractione ex voluptate ortum contendit. cf. Neue-Wagener. II. p. 182 sqq. Lindsay-Nohl. p. 635.

γ) temporis.

„Nam „apes“ si „pes“ corripueris, barbarismus erit.“

Prob. Cath. IV. p. 26,18 sq.

De nominato numeri singularis in ēs cf. Sommer. p. 371. Agnoscere licet pronuntiationem vulgi quantitatis syllabarum ignari.

„Illud vehementissime observare debemus, ut „con“ et „in“, quotienscumque post se habent s vel f litteram, videamus quemadmodum pronuntientur. plerumque enim non observantes in barbarismos incurrimus. nam cum ipsarum natura brevis sit, tamen si sequantur supra dictae litterae, plerumque in longitudinem transit, ut cum dicimus „confit“ „confessio“ item „consilium“ „consuluit“. his enim locis pronuntiandae sunt ut longae; similiter „insula“ „infula“.

Serv. com. in Donat. IV. p. 442,28 sqq.

Servius haud dubie Ciceronis locum respicit, qui est orat. 48,159, ubi inter Romanos eruditos convenisse ait, ut ad aurium delicias ita praepositiones illas pronuntiarent. cf. Niedermann.[2] p. 33 sq.

„ut si dicamus correpta media syllaba „emērunt“.“

Aud. exc. VII. p. 362,11.

Forma et ipsa primaria a poetis haud raro usurpata grammatico insolita est visa. cf. Sommer. p. 578 sqq.

„fervĕre Leucaten“ (Aen. VIII. 677) — fervēre.

Com. apud Char. I. p. 265,14 sq. Diom. I. p. 452,16 sq.

Alterum[1]) exemplum verbi bifariam declinati. Atque cum „fervĕre“ forma sit vetustior, grammaticorum aetate eo processit confusio, ut formam genuinam non recte dici arbitrarentur. cf. Sommer. p. 508. Roensch. p. 283 sq.

„ut siquis dicat „ŏrator“ correpta priore syllaba quod ipsum vitium Afrorum speciale est.“

Cons. V. p. 392,11.

Unum ex exemplis plurimis quantitatis in lingua vulgari confusae. cf. p. 63.

---

[1]) cf. p. 54.

Adde

„si naturaliter longas syllabas breviter proferamus ut „Rŏmani“.“

Serv. com. in Donat. IV. p. 444,3.

„stetĕruntque comae et vox faucibus haesit“ (Aen. II. 774.) — stetērunt.

Sacerd. VI. p. 451,5. Serv. com. in Donat. V. p. 444,25. Pomp. V. p. 285,30.

„unĭus ob noxam“ (Aen. I. 41) — unīus.

Donat. IV. p. 392,15 sq. Jul. exc. V. p. 324,11.

„Unĭus“ inde a Lucilio apud poetas optimos in multo usu est. cf. Sommer. p. 444 sq.

δ) accentus.

„si gravis pro flexa, ut „Céthègus“.“

Quint. I. 5,23.

Eam vocabuli pronuntiationem rationi Romanae adversam, qua vulgus usum videtur esse, Schulze l. l. p. 322 ab Etruscis ad Romanos pervenisse contendit. cf. Sommer. p. 88. Si pronuntiatio Graeca „Κέϑηγος (cf. Pape-Benseler. I. p. 641) et „Μέτελλος“ (ibidem II. p. 909) certis indiciis probetur, potius inde accentum mutatum fluxisse crediderim.

„Detrahuntur accentus, ut si quis „méta“ „créta“ et cetera talia sub acuto accentu pronuntiaverit, cum sub circumflexo pronuntianda sint.“

Com. Einsidl. in Donat. Anecd. Helv. CXV. f. 18b. cf. Seelmann. p. 58.

„quando dicimus „déinde“: mediam enim habere debuit acutam, quia positione longa est.“

Serv. com. in Donat. IV. p. 444,26 sq.

Quamquam Servius nisi „deĭnde“ recte dici negat, tamen alii grammatici „dēinde“ probant, quae vocis pronuntiatio

ex vocabulis „éxin“ et „dĕin“ videtur fluxisse. cf. Seelmann. p. 41. Sommer. p. 88.

Haec pronuntiatio probatur formis Romanicis „dende“ „den“ cf. Meyer-Lübke. p. 200.

„ut siquis „ôratorem“ dicens priorem syllabam circumflexo accentu pronuntiet.“

Cons. V. p. 392,12 sq.

Afrorum linguae vulgaris ea locutio videtur propria fuisse. cf. Seelmann. p. 58.

„si velis dicere „Romam“, cum tractim debeas dicere“

Pomp. V. p. 285,31.

cf. Seelmann. p. 57.

ε) aspirationis.

Graccis[1]) — Gracchis.

Quint. I. 5,20.

Quintilianus veteres sic scripsisse tradit, sed ipse quod vitiosum sit improbat. Cuius orthographiae apud Char. I. p. 82,7 sqq. legimus auctorem fuisse Varronem; qui linguae inprimis rusticae morem secutus est. cf. Sommer. p. 194 sq.

Nomen ex lingua Etruscorum translatum esse auctor est W. Schulze Eigenn. p. 172 sq.

Aspirationem in lingua vulgari omissam esse omnes linguae Romanicae testes sunt. Qui usus si non prius at certe imperatorum aetate percrebrescens a grammaticis repudiatus est. Nostri haec afferunt exempla:

aedus — haedus.

Quint. I. 5,20. cf. Vel. Long. VII. p. 69,9 sq. p. 81,12. Ter. Scaur. VII. p. 11,4. cf. Varro d. l. l. V. 97.

---

1) cf. C J L VII. 493. 1336.

Ea scribendi ratio et ipsa ex sermone rustico pervulgata in linguas Romanicas abiit. cf. Seelmann. p. 264. Sommer. p. 194. Meyer-Lübke p. 295.

ircus — hircus.

Quint. I. 5,20. cf. Vel. Long. VII. p. 69,9 sq. p. 81,12.

cf. quae de voce „aedus" exposui. cf. Meyer-Lübke. p. 305.

omo — homo.

Diom. I. p. 452,22. Pomp. V. p. 285,32.

„Omo" et secundum pronuntiationem videtur scriptum ab indoctis et confusum cum vocabulo „omnis". Iuveni in titulis C I L VIII. 6442. X. 3577. XII. 2366. cf. Meyer-Lübke. p. 307.

onor — honor.

Cons. V. p. 392,13. Aud. exc. VII. p. 362,15.

Eo facilius ea scribendi ratio inveterascere potuit, quia Varro d. l. l. V. 73 cum „onus" cohaerere vocabulum docuit. cf. Sommer. p. 195.

Exstat in inscriptionibus his: C I L IV. 1396. VIII. 4681. IX. 10. X. 4724. XII. 2486. XIV. 107 (Marci Aureli aetate). cf. Meyer-Lübke. p. 307.

ora — hora.

Sacerd. VI. p. 451,7 sq.

Persaepe inter se permutata sunt ea vocabula.[1]) In titulis inveni: C I L IV. 2399 bis. V. 914. 1535. 1634. 4754. 6227. C I L V. 6710. VIII. 9056. 9433. IX. 2151. 2184. X. 493. 2169. 2942. 7186. XII. 923. XIV. 753. 890. 1053. 2170. cf. Meyer-Lübke. p. 307.

umum — humum.

Com. apud Char. I. p. 265,22. Aud. exc. VII. p. 362,15.

Exemplo caret.

[1]) p. 53.

triumpis — triumphis.

Quint. I. 5,20.

Ciceronem sequitur hoc loco Quintilianus, qui orat. 160 ipse quidem formam „triumphus“ accepit. Sommer. p. 199. cf. C I L IX. 5942 „triumphator“.

c) immutatione.

α) litterae

at — ad.

Pomp. V. p. 269, 2 sq. Ter. Scaur. VII. p. 11,8. Vel. Long. VII. p. 62,15 sq.

Totiens particulae „at“ et „ad“ inter se commixtae sunt, ut pueris et indoctis Romanis eadem crux fuisse videantur, quae Germanis „dass“ et „das“. cf. C I L IV. 1880. 2013. V. 1469. 3408. 8003. VIII. 284. 1557. 2340. 2438. 4194. 4240. 4579. 5365. IX. 2893. 3314. 3337. 3473. X. 787. 3147. 6565. 7295_{10}. 7307. 7569. 7570. XII. 1310. XIV. 78. 380. 527. 1214. 1723,5. 2496 bis. 2795,8 bis. 3857,10. 3956.

arvenire — advenire.

Diom. I. p. 452,29. cf. C. Gl. Lat. V. 7,34. 48,29.

Priscae latinitatis morem agnoscis d litteram ante consonantes labiales velares in r commutandi. Aliter res se habet in voce „peres“, quam Consentius V. p. 392,15 e sermone cotidiano suae aetatis affert. cf. Lindsay-Nohl. p. 328 sq. Sommer. p. 264.

ad — at.

Terent. Scaur. VII. p. 11,8.

cf. quae modo de iis vocabulis permixtis exposui. In inscriptionibus legitur velut: C I L X. 1813. 6218.

Canópitarum — Canobitarum.

Quint. I. 5,13.

Quintilianus addit „ipsi Canobon dicunt“. Muta, id quod saepe fit, cum tenui permutata est. cf. Lindsay-

Nohl. p. 86. Seelmann. p. 297 sqq. cf. E. Mayser, Gram. d. Griech. Papyri. Lips. 1906. p. 175.

dua — duo.

Quint. I. 5,15.

Quod grammaticus improbat, aetate imperatorum saepe legitur in titulis. cf. C I L IV. 1990. V. 1102. XIV. 1934 bis. cf. Sommer. p. 464.

ohminem — hominem.

Sacerd. VI. p. 451,9.

Insolitus ille barbarismus aspiratione transposita factus alibi non occurrit. cf. Seelmann. p. 265.

olli (Aen. cf. p. 110) — illi.

Com. apud Char. I. p. 265,18. Donat. IV. p. 392,16. Serv. com. in Donat. IV. p. 445,3. Iul. exc. V. p. 324,13. Aud. VII. p. 362,6.

Forma prisca pronominis est, quam laudantibus criticis Ennii asseclae in deliciis habuerunt. cf. Quint. VIII. 3,25. cf. Sommer. p. 428 sq.

maxume — maxime.

Aud. VII. p. 362,6.

Antiquae scribendi rationis exemplum. cf. Sommer. p. 105 sq.

peres — pedes.

Cons. V. p. 392,15.

cf. quae p. 85 sq. s. v. „arvenire“ exposui.

Ruma — Roma.

Serv. com. in Donat. IV. p. 444,4.

Haud scio an ea scribendi ratione ab Etruscis fluxerit. cf. Schulze, Eigenn. p. 579 sqq. cf. Serv. Aen. VIII. 63. 90. cf. Zimmermann, Woch. f. klass. Phil. 1917. p. 186 sqq.

stetim — statim.

Cons. V. p. 392,16.

Vitium, „quod plebem Romanam quadam deliciosa affectatione corrumpit,“[1] id est, ut vocalem a in e permutet, id quod et apud alias gentes invenitur. cf. Seelmann. p. 173. Lindsay-Nohl. p. 14 sqq. Seelmann p. 169 sqq. Hoc exemplum non ad sollemnem usum pertinere videtur, sed ad similitudinem fòrmae „steti“ depravatum.

bobis — vobis.

Cons. V. p. 392,15.

Eas consonantes, quippe quae pariter fere pronuntiarentur, plebs ne scribendo quidem distinguere poterat. cf. Lindsay-Nohl. p. 57 sq.

In titulis inveni: „bobis“ C I L XIV. 3323. „bocis“ C I L IX. 10. „Botum“ C I L X. 2056. 3042. XII. 5423. et saepius.

β) syllabae.

„conticuere omnes“ (Aen. II, 1) — conticuerunt.

Rem. Pal. apud Char. I. p. 266,8.

Formae a Cicerone orat. 157 promiscue usurpatae paulatim ita disiunctae sunt, ut perfectum desinens in „-erunt“ in usum vulgarem abiret, in „ere“ quippe quod metro saepe aptius esset, poetarum proprium fieret. cf. Sommer. p. 579 sq. Löfstedt, Philol. Komment. z. Peregr. Aeth. Lips. 1911. p. 36 sqq.

permicies — pernicies Iul. exc. V. p. 324,13.
permities — pernicies Donat. IV. p. 392,17.
pernities — pernicies Cod. Monac. V. p. 327,22 sqq.

Voces „permicies“ vel „permities“ et „pernicies“ vel „pernities“ diversis ex radicibus ortas esse viri docti consentiunt, cum grammatici „permicies“, ex „pernicies“ depravatum esse velint. cf. Walde p. 577. Sommer. p. 169. Auctor sane codicis Monacensis „permicies“ for-

[1]) Immo, perpauca exempla inveniuntur.

mae ignarus de syllabis „ti“ et „ci“ mutatis agi ratus, quae consuetudo quarto quintove p. Chr. n. saeculo percrebruit, „pernicies“ non „pernities“ scribendum contendit. cf. Seelmann. p. 281.

relicum — reliquum.
Aud. VII. p. 362,7.

Grammaticus c pro qu poni vetat, id quod aetate imperatorum fieri coeptum est.

C I L VIII. 2728 „relicum“ (a. 150. p. Chr. n.). cf. Sommer. p. 162. Lindsay-Nohl. p. 53.

tarterum[1]) — tartarum.
Cons. V. p. 392,17.

„tarterum“ recentioris Latinitatis pronuntiatio ex forma Graecanica „*Τάρταρον*“ depravata. cf. comask. tártara — tártera. Meyer-Lübke. p. 648.

tum — tunc.
Aud. VII. p. 362,7.

Quomodo hic barbarismus appellari possit, non apparet, cum utraque forma eadem vi a scriptoribus adhibeatur. Aut de metaplasmo agitur ita, ut pro voce longiore „tunc“ brevior „tum“ ponatur, aut grammatici aetate sola forma „tunc“ in usu fuit, quae sola in linguis Romanicis permansit. cf. Meyer-Lübke p. 683.

γ) temporis.

„fervĕre Leucaten“ (Aen. VIII. 677.) — fervēre.
Donat. IV. p. 392,17. Iul. exc. V. p. 324,14. cf. p. 61.

„ut siquis „pīces“ dicens priorem extendat.“
Cons. V. p. 392,18.

De alio exemplo mendosae pronuntiationis vulgaris p. 85. egi, cf. p. 61.

[1]) cf. quinqueginta C I L V. 4766. „Caeseris“ C I L IV. 2308.

δ) accentus.

„sed id saepius in Graecis nominibus accidit, ut „Atreus“, quem nobis iuvenibus doctissimi senes acuta prima dicere solebant, ut necessario secunda gravis esset, item „Nerei Tereique“.

Quint. I. 5,24.

Agitur de diverso Romanorum et Graecorum pronuntiandi more.

„per immutationem accentuum ac si dicas „Cērĕs“, „ce“ longa, cum brevis sit, et „res“ brevi, cum sit longa.

Sacerd. VI. p. 451,13. cf. p. 60.

„ac si dicas „iste“ et „te“ acuas, cum „is“ debeas“.

Sacerd. VI. p. 451,9.

Utraque forma in linguis recentioribus exstat. cf. Seelmann. p. 49 sq. p. 56 sq. cf. Meyer-Lübke. p. 328.

„si pro media syllaba prima producitur, ut „látebrae ténebrae“.

Isid. etym. I. 32,1. Reliqui quidem grammatici, velut Donat. IV. p. 371,18 sq. Diom. I. p. 432 27 sqq. Prisc. III. p. 521,20 sq. „látebrae, ténebrae“. quoniam syllaba ante mutam cum liquida posita aut corripitur aut producitur, recte pronuntiari dicunt. Isidorus vero posteriore usu vulgari nixus paenultimam acuente, „latébras“ et „tenébras“ recte dici vult. cf. Seelmann. p. 47. 52. Meyer-Lübke. Gram. I. p. 490.

„accentu fit barbarismus, cum aut acutus pro gravi aut gravis pro acuto vel alius pro quolibet ponitur, ut si dicas „Métellus“ acuto accentu in prima, cum in secunda sit acutus, in prima gravis.“

Aud. VII. p. 362,16 sqq. cf. Seelmann. p. 55. Schulze. p. 463. cf. p. 62. s. v. „Cethegus.“

„ut siquis „oratorem“ dicens primam acuat.“

Cons .V. p. 392,19. cf. p. 63. cf. Seelmann. p. 58.

„ut siquis dicens „triginta“ priorem syllabam acuat et sequentem graviter enuntiet, qui modus et per immutationem fieri videtur.“

Cons. V. p. 392.4 sqq. cf. p. 52. Meyer-Lübke, Gram. d. Rom. Sprach. Lips. 1890. p. 494 sq.

ε) aspirationis.

Chartaginem — Carthaginem.

Traciam — Thraciam.

Cons. V. p. 392,19 sqq.

Ea aspirationis transpositio perversa haud raro obvia fit in titulis velut „Chorintus“ C I L II. 4261. „Traciam“ C I L XIV. 3623. „Traces“ C I L VII. 67. VIII. 2258. XIV. 3631. cf. Seelmann. p. 260.

Hebrum — Ebrum.

Cons. V. p. 392,21 sq. cf. p. 63.

ζ) loquellarum.[1])

phelix — felix.

Sacerd. VI. p. 451,12 sq.

Graecorum φ summa diligentia reddentes Romani non raro eo progressi sunt, ut in verbis latinis falso ph scriberent. cf. apud Siculos graecissantes „phecit“. C I L X. 7037. cf. Mommsen, Die Wiedergabe des griechischen Φ in lateinischer Schrift. Herm. XIV. 1878. p. 65 sqq. = Gesam. Schrift. VII. Berol. 1909. p. 792 sqq.

filosofum — philosophum.

Sacerd. VI. p. 451,12.

Paulatim Romani in eam consuetudinem venerunt, ut Graecorum φ littera f redderent, id quod quarto p. Chr. n. saeculo vulgo scribebatur. cf. Lindsay-Nohl. p. 13. In titulis inveni „filosofi“ C I L VIII. 10890 (Africae). cf. Mommsen. l. l.

---

[1]) cf. p. 31.

d) transmutatione.

α) litterae.

De exemplis sequentibus, quibus praeter unum adverbium „tantisper" semper l vel r litterae transponuntur, cf. Seelmann. p. 330, Sommer. p. 214.

coacla — cloaca.

Cons. V. p. 392,24. Forma vulgaris. cf. rugus. coacla. Meyer-Lübke. p. 159.

„pinguiaque in veribus torrebimus exta colurnis." (Verg. Georg. II. 396.) — corulis. Rem. Pal. apud Char. I. p. 266,9.

Supplenda est forma media „corulnus". cf. Walde. p. 179.

Ea forma, quae a Vergilio solo fere hoc loco ponitur, a Servio (Georg. I. 305) „inter derivationes ex usu magis quam ex ratione venientes" numeratur. Forma in linguas Romanicas abiit. cf. Meyer-Lübke. p. 180.

Euandre — Euander.

Donat. IV. p. 392,20. Serv. com. in Donat. IV. p. 445,5. Pomp. V. p. 285,15. Iul. exc. V. p. 324,18.

Vocativus, quasi nominativus „Euandrus" esset, fictus est.

intrepella — interpella.

Iul. exc. V. p. 324,18.

interpertor — interpretor.

Cons. V. p. 392,24.

perlum — prelum.

Cons. V. p. 392,23

reilcum — relicum.

Com. apud. Char. I. p. 265,17. cf. Cons. V. p. 392,23 sq.

lerigionem — religionem.

Diom. I. p. 452,32.

leriquias — reliquias.
Diom. I. p. 452,30.

tanpister — tantisper.
Diom. I. p. 453,1.

Trasumennus — Tarsumennus.
Quint. I. 5,13.

Quint. formam „Tarsumennus“ recte dici vult, cum „Trasumennus“ sola fere scribatur. cf. Nissen, Ital. Landesk. II 319 n. 4.

Thymbre — Thymber.
Pomp. V. p. 285,14. cf. p. 71. s. v. Euandre.

β) syllabae.

displicina — disciplina.
Donat. IV. p. 392,20. Cons. V. p. 392,25.
Prisc. III. p. 114,3. Iul. exc. V. p. 324,19.

Trita videtur fuisse in scholis iocosa ea syllabarum transmutatio, qua quantopere sibi displiceret disciplina pueri significabant.

γ) temporis.

„ut siquis „deos“ producta priore syllaba et correpta posteriore pronuntiet.“
Donat. IV. p. 392,21. Iul. exc. V. p. 324,19 sq.

Forma vulgaris, qua syllaba acuta quasi producte dicebatur.

„ut siquis „pices“ producta priore et correpta sequenti pronuntiet.“
Cons. V. p. 392,25. cf. p. 69.

δ) accentus.

„cum acuta et gravis alia pro alia ponuntur, ut in hoc „Cámillus“, si acuitur prima.“
Quint. I. 5,22. cf. quae p. 62. de voce „Céthegus“ contuli.

„ut siquis „ôratorem“ pronuntians primam syllabam circumflectat.“

Cons. V. p. 392,26 sq. cf. Seelmann. p. 58.

ε) aspirationis.

Trachiam — Thraciam.

Cons. V. p. 392,27 sq. cf. p. 70. cf. Seelmann. p. 260.

§ 2.

Subsequuntur metaplasmorum exempla singularum specierum et nominibus et definitionibus praemissis.

a) Prothesis sive prosthesis.[1])

Charisius I. p. 278,1 sqq. et Diomedes I. p. 440,32 sqq. eum generalem quendam metaplasmum esse contendunt, qui per adiectionem fiat, sed specialiter sic dividi, ut prothesis sit, cum primae parti dictionis aut littera adiciatur aut syllaba. Reliqui vero solam specialis metaplasmi ut ita dicam definitionem exhibent. cf. Sacerd. VI. p. 451,30 sq. Donat. IV. p. 396,1 sq. Cons. V. p. 387,33 sqq. de ult. syll. IV. p. 262,24. Pomp. V. p. 296,31 sq. Isid. etym. I. 35,2.

α) litterae.

Verg. Aen. III. 12. „cum sociis gnatoque penatibus“ — ‘nato’.

Cons. V. p. 387,34.

Verg. Aen. VI. 116. „gnatique patrisque“ — ‘natique’.

de ult. syll. IV. p. 262,25.

Verg. Aen. XI. 178 „Turnum gnatoque patrique“ ‘natoque’.

Char. I. p. 278,4. Diom. I. p. 444,1.

---

1) cf. Donat. IV. p. 396, 1. Diom. I. p. 440, 32. de ult. syll. IV. p. 262, 24.

'gnato' — 'nato'.[1])

Sacerd. VI. p. 451,31. Donat. IV. p. 396,2. Isid. etym. I. 35,2.

β) syllabae.

Terent. Andr. v. 69. „**ab**hinc triennium" — 'hinc'

Prisc. III. p. 109,21.

Terent. Andr. v. 808. „**te**tulissem pedem" — 'tulissem'.

Sacerd. VI. p. 451,31. de ult. syll. IV. p. 262,30. Eugraphi com. ed. Wessner. III. p. 72,17.

Terent. Eunuch. v. 772. „**E**mori satius est" — 'mori'.

Prisc. III. p. 109,23.

Terent. Phorm. v. 88. „**ex**adversum ei loco" — 'adversum'

Prisc. III. p. 109,19 sq.

trag. inc. „**te**tulit senilis Poeas ad caelum manus" — 'tulit'.

Cons. V. p. 387,38. Pomp. V. p. 296,7. cf. O. Ribbeck, Trag. Rom. Frg.[3] Lips. 1897. p. 283,70.

trag. inc. „concitum **te**tuli gradum' — 'tuli'.

Char. I. p. 278,6. Diom. I. p. 441,3. cf. O. Ribbeck. l. l. p. 275,25.

„**te**tulit" — 'tulit'

Donat. IV. p. 396,2. Serv. com. in Donat. IV. p. 447,24. Pomp. V. p. 296, 34. Isid. etym. I. 35.2.

Verg. buc. III. 100. „**e**heu quam pingui" — 'heu'

Serv. com. in Verg. carm. ed. Thilo. I. p. 227,19 sqq.

---

[1]) at cf. Differ. serm. Anecd. Helv. p. 281, 11 sq. cf. „regnatus" C I L IV. 4107.

Verg. Aen. VII. 513. „cornuque **re**curvo" — 'curvo'
de ult. syll. IV. p. 262,30.

Verg. Aen. X. 766. „aut altis **re**ferens" — 'ferens'
de ult. syll. IV. p. 262,30.

b) Epenthesis sive parenthesis.[1])

Sacerd. VI. p. 452,1 sq. „Epenthesis est, cum in medio verbo aut littera additur . . aut syllaba."
cf. Char. I. p. 278,8. Donat. IV. p. 396,3. Diom. I. p. 441,5 sq. Cons. V. p. 388,1. Pomp. V. p. 296,32. de ult. syll. IV. p. 262,32. Isid. etym. I. 35,2.

Quod Diomedes I. p. 441,10. hunc metaplasmum a quibusdam pleonasmum appellari affert, errori videtur tribuendum.[2])

α) litterae.

Terent. Phorm. prol. v. 21. „sibi esse re**l**latum putet" — 'relatum'
Donat. com. Terent. ed. Wessner. II. p. 354,12.

Verg. buc. III. 84. „Po**l**lio amat nostram" — 'Polio'
Serv. com. in Verg. Thilo. III. p. 40,14.

Verg. Aen. I. 30. „relliquias Danaum" — 'reliquias[3])
Sacerd. VI. p. 452,2. Donat. IV. p. 396,4. Donat. com. Terent. ed. Wessner. II. p. 354,12. Serv. com. in Donat. IV. p. 440,10. Cons. V. p. 388,2. p. 400,5 sq. Pomp. V. p. 284,7. Mar. Vict. VI. p. 38,28. Albin. VII. p. 308,31 sq. Cod. Bern. Anecd. Helv. XLVIII. 30. Isid. etym. I. 35,2.

Verg. Aen. VII. 244. „relliquias Troiae" — 'reliquias'
de ult. syll. IV. p. 259,25.

---

[1]) Char. I. p. 278, 8. Donat. IV. p. 396, 4. Serv. com. in Verg. ed. Thilo. I. p. 184, 6. de ult. syll. IV. p. 262, 32.
[2]) cf. Etym. Magn. p. 643, 23. [3]) cf. p. 91.

Verg. Aen. III. 409. „hac casti maneant in relligione nepotes“[1]) — ‘religione’

Char. I. p. 278,10. Diom. I. p. 441,7. de ult. syll. IV. p. 262,33. Isid. etym. I. 35,2. cf. Cod. Bern. Anecd. Helv. XLVIII. 32.

Verg. Aen. VII. 608. „relligione sacrae“ — ‘religione’

de ult. syll. IV. p. 259,26.

Verg. Aen. V. 428. „redduxere retro“ — ‘reduxere’.

Mar. Vict. VI. p. 38,31.

Lucan. Phars. IX. 367. „rettulit Argolico“ — ‘retulit’

Mar. Vict. VI. p. 38,28.

„Catilinna“ — ‘Catilina’ „si autem causa metri hac faciam, facio metaplasmum“

Pomp. V. p. 283,36.

β) syllabae.

Enn. ann. 83. et alibi (Vahl.²) „induperator“ — ‘imperator’[2])

Char. I. p. 278,11. Donat. IV. p. 396,4. Cons. V. p. 388,3 („ut Ennius dicit plerumque“) Pomp. V. p. 297,1. Anecd. Helv. XLVIII. 31. Prisc. III. p. 109,16 sq. Isid. I. 35,2.

Enn. ann. 592. (Vahl.²). „equitatus ut celerissimus“ — ‘celerrimus’

Char. I. p. 83,22 sqq. („barbarismus est“!)

Terent. Phorm. v. 225 „ad defendendam noxiam“ — ‘noxam’

Donat. com. Terent. ed. Wessner. II. p. 407,12.

Verg. Georg. I. 137. „navita tum stellis“ — ‘nauta’

de ult. syll. IV. p. 263,3. cf. Serv. com. in Verg. ed. Thilo. III. p. 170,14. Serv. Daniel. com. in Verg. ed. Thilo. III. p. 170,16. Brev. exp. in Verg. Georg. ed. Hagen. III. p. 227,12.

---

[1]) cf. p. 92. [2]) cf. p. 49.

Verg. Aen. VI. 385. „navita quos iam“ — 'nauta'
Serv. com. in Verg. Thilo. II. p. 61,14.

Verg. Georg. I. 164. „tribulaque traheaeque“ —'trahaeque'
Serv. com. in Verg. ed. Thilo. III. p. 170,14.
Serv. Daniel. com. in Verg. ed. Thilo. III. p. 170,15 sq.

Verg. Aen. II. 25. „nos abiisse rati et vento petiisse Mycenas“ — 'abisse' 'petisse'
Serv. com. in Verg. ed. Thilo. I. p. 219,21 sq. Cons. V. p. 388,5.

Verg. Aen. VIII. 27. „alituum pecudumque genus“ — 'alitum'
Serv. com. in Verg. ed. Thilo. I. p. 186,6 sq. II. p. 203,18 sq. p. 91,10. Ps. Acron. Schol. in Horat. ed. Keller. I. p. 19,17 sqq.

Verg. Aen. VIII. 631. „Mavortis in antro“ — 'Martis'
Serv. com. in Verg. ed. Thilo. I. p. 186,6 sq. II. p. 61,14. Serv. Daniel. com. in Verg. ed. Thilo. III. p. 170,16. Brev. exposit. in Verg. Georg. ed. Hagen. III. p. 227,12. Char. I. p. 278,11. Diom. I. p. 441,9. Cons. V. p. 388,4. de ult. syll. IV. p. 263,3. Sacerd. VI. p. 452,2.

Horat. carm. I. 1,33. „nec Polyhymnia“ — 'Polhymnia'[1])
Ps. Acron. Schol. in Horat. ed. Keller. I. p. 19,17 sqq.

'prehendit' — 'prendit'
Serv. com. in Verg. ed. Thilo. I. p. 227,19 sqq. („et secundum Plinium multa sunt talia“).

“dedidit” — 'dedit'
Cod. Bern. 16. Anecd. Helv. XLVIII. 32.

---

[1]) cf. p. 50.

ι) Paragoge sive prosparalepsis[1]) sive paralempsis.[2])

Donat. IV. p. 396,6 sq.: „Paragoge est appositio ad finem dictionis litterae vel syllabae."
cf. Sacerd. VI. p. 453,3. Char. I. p. 278,13 sq. Diom. I. p. 441,11 sq.; 17 sq. Cons. V. p. 388,5 sq. Pomp. V. p. 296,33 sq. de ult. syll. IV. p. 263,5. Isid. etym. I. 35,3. Corp. Gloss. Lat. V. p. 231,7.

α) litterae.

Plaut. Curc. 1. „quo te**d** hoc noctis" — 'te'
Diom. I. p. 441,18.

Verg. Georg. II. 425 „placitam Paci nutrito**r** olivam" — 'nutrito'
Prisc. II. p. 393,17 sqq.

Verg. Aen. XI. 468 „ilice**t** in muros" — 'ilico'
Serv. com. in Verg. ed. Thilo. II. p. 536,1 sq.

'magi**s**' — 'mage'
Donat. IV. p. 396,7. Cons. V. p. 388,7. Isid. I. 35,3. Corp. Gloss. Lat. V. p. 231,7.

β) syllabae.

Lucret. III. 1010. „magna fieri ratione potest**ur**" — 'potest'
Pomp. V. p. 297,2. cf. Donat. IV. p. 396,7. Diom. I. p. 385,29 sqq. p. 441,19. Cons. V. p. 388,8. Isid. etym. I. 35,3. Corp. Gloss. Lat. V. p. 231,7.

Verg. Aen. IV. 493. „accingi**er** artes" — 'accingi'
Serv. com. in Verg. ed. Thilo. I. p. 554,13 sqq. Diom. I. p. 441,15. de ult. syll. IV. p. 263,6. Exc. Bob. V. p. 645,31. („accingier ense".)

---

[1]) Char. I. p. 278, 13. Donat. IV. p. 396, 7. Diom. I. p. 441, 11; 31. De ult. syll. IV. p. 263, 5. Corp. Gloss. Lat. V. p. 231, 7. [2]) Cons. V. p. 388, 5.

Verg. Aen. IX. 231. „admittier orant“ — 'admitti'
Sacerd. VI. p. 452,4. Char. I. p. 278,14. Diom. I. p. 441,13. Cons. V. p. 388,7. Isid. etym. I. 35,3; at cf. Prisc. III. p. 112,16.

Verg. Aen. XI. 660. „pictis bellantur Amazones armis“ — 'bellant'.
Prisc. II. p. 393,20 sq. Corp. Gloss. Lat. V. p. 231,7.

'estur' — 'est'
Corp. Gloss. Lat. V. p. 231,7.

d) Aphaeresis sive encope.[1])

Charisius I. p. 278,15 sq. et Diomedes I. p. 441,20, qui prothesin metaplasmum et generalem et specialem appellant,[2]) idem simillime initio aphaeresim generalem metaplasmum esse volunt, qui fiat per detractionem. Sed specialiter eum in prima parte dictionis observari. Reliqui vero eum specialem tantum metaplasmum prothesi contrarium esse dicunt. cf. Sacerd. VI. p. 452,5. Char. I. p. 278,15 sq. Donat. IV. p. 396,8 sq. Diomed. I. p. 441,22 sq. Cons. V. p. 388,10 sq. de ult. syll. IV. p. 263,7. Pomp. V. p. 297,6 sq. Serv. Daniel. com. in Verg. ed. Thilo. I. p. 464,3 sq. Isid. etym. I. 35,3. Corp. Gloss. Lat. III. p. 489,19. p. 508,46.

α) litterae.

Terent. Adelph. 185. „mitte ista atque ad rem redi“ — 'omitte'
Donat. IV. p. 396,9. Cons. V. p. 388,11 sq. Pomp. V. p. 297,8. cf. Anecd. Helv. XLV. 30 sqq.

---

[1]) Sacerd. VI. p. 451, 27. [2]) cf. p. 73.

Verg. Aen. I. 203. „timorem mittite" — 'omittite'
Serv. com. in Verg. ed. Thilo. I. p. 79,3. („tropus aphaeresis".)

Verg. Aen. XII. 454. „ruit omnia late" — 'eruit'
Diom. I. p. 441,24.

'uge' — 'euge'
Anecd. Helv. XLV. 30 sqq.

β) syllabae.

Terent. Andr. v. 142. „vitae qui auxilium tulit" — 'attulit'
Donat. com. Terent. ed. Wessner. I. p. 80,4 sqq.

Terent. Eunuch. v. 581. „paucae quae circum illam essent, manent" — 'remanent'
Donat. com. Terent. ed. Wessner. I. p. 395,3.

Verg. buc. IX. 51. „omnia fert aetas" — 'aufert'
Donat. com. Terent. ed. Wessner. I. p. 80,4 sqq.
Serv. Daniel. com. in Verg. ed. Thilo. II. p. 604,2.

Verg. Aen. I. 59. „quippe ferant rapidi secum" — 'auferant'
Serv. com. in Verg. ed. Thilo. I. p. 36,14.

Verg. Aen. XII. 285. „crateras focosque ferunt" — 'auferunt'
Serv. com. in Verg. ed. Thilo. II. p. 604,1 sq.
Serv. Daniel. com. in Verg. ed. Thilo. II. p. 604,2.

Verg. Georg. I. 426. „neque insidiis noctis capiere serenae" — 'decipiere'
Serv. com. in Verg. ed. Thilo. III. p. 210,14.

Verg. Georg. III. 348. „et hosti ante exspectatum positis stat in agmine castris" — 'obstat'
Serv. com. in Verg. ed. Thilo. III. p. 304,8.

Verg. Aen. I. 665. „nate, patris summique tela Typhoea temnis — 'contemnis'
Serv. com. in Verg. ed. Thilo. I. p. 191,27.

Verg. Aen. VI. 620. „temnere divos“ — ‘contemnere’
Cons. V. p. 388,12 sq. Anecd. Helv. XLV. 31. cf. Serv. com. in Verg. ed. Thilo. I. p. 79,3. II. p. 604,1. Char. I. p. 278, 16. Diom. I. p. 441,25. Donat. IV. p. 396,9. Pomp. V. p. 297,9. de ult. syll. IV. p. 263,8. Isid. etym. I. 35,3.

Stat. Theb. II. 570. „neque enim temnenda iacebant“ — ‘contemnenda’
Lact. Plac. com. ed. Jahnke. p. 125.

Verg. Aen. II. 407. „non tulit hanc speciem“ — ‘pertulit’
Donat. com. Terent. ed. Wessner. I. p. 80,4 sqq.

Verg. Aen. IV. 16. „vinclo vellem sociare iugali“ — ‘coniugali’
Serv. Daniel. com. in Verg. ed. Thilo. I. p. 464,2 sqq.

Verg. Aen. X. 68. „linquere castra“ — ‘relinquere’
Sacerd. VI. p. 452,6. Diom. I. p. 441,25.

‘soluit’ — ‘dissoluit’
Anecd. Helv. XLV. 30.

e) Syncope sive concisio[1]) sive collisio.[2])

Sacerd. VI. p. 452,7: „Syncope est, cum de medio verbo littera tollitur . . vel syllaba.“
cf. Sacerd. VI. p. 448,1 sq.; 25 sq. Char. I. p. 278,18 sq. Donat. IV. p. 396,10 sq. Diom. I. p. 441,27 sq. Cons. V. p. 388,13 sq. Pomp. V. p. 297,7. de ult. syll. IV. p. 263,10. Iul. Tol. Anecd. Helv. CCXXXV. 2. Isid. etym. I. 35,3.

---

[1]) Diom. I. p. 452, 26. Prisc. II. p. 454, 5 et saepius
[2]) Corp. Gloss. Lat. II. 440, 38.

β) litterae.

Naev. bell. Pun. (Frg. Poet. Rom. Baehr. p. 14,12). „Neptunum regnatorem Marum" — 'marium'
Prisc. II. p. 351,25 sqq.

Enn. ann. 567. (Vahl.²) „huic statuam statui maiorum obatu athenis" — 'orbatu'
Cons. V. p. 400,10 sq. („et hic quoque per metaplasmum dempsit litteram r.")

Lucil. 1242. (M.) „ove corupto" — 'corrupto'
Cons. V. p. 400,7 sqq.

Verg. Aen. I. 26. „manet alta mente repostum iudicium" — 'repositum'
Serv. com. in Verg. Thilo. I. p. 22.18 sqq. („de Ennio transtulit"). Cons. V. p. 388,16. p. 391,15.

„repsitum" — 'repositum'
Diom. I. p. 453.1 sq. („'perecthlipsin' quoque, id est unius litterae elisionem.")

Verg. Aen. I. 249. „placida compostus pace quiescit"[1]) — 'compositus'.
Serv. com. in Verg. ed. Thilo. I. p. 93,7. Anecd. Helv. CCXXXV. 8.

Verg. Aen. IV. 464. „multaque praeterea vatum praedicta — 'vatium'
Prisc. II. p. 353,4.

Verg. Aen. VI. 653. „quae gratia currum" — 'curruum'
Serv. com. in Verg. ed. Thilo. II. p. 91,7 sqq. Frg. Bob. V. p. 563.4 sq. Prisc. II. p. 364,12 sqq.

Verg. Aen. VII. 490. „ille manum patiens" — 'manuum'
Frg. Bob. V. p. 563,3.

---

1) cf. p. 100.

Verg. Aen. VIII. 274. „pocula porgite dextris“ — ‘porrigite’
Serv. com. in Verg. ed. Thilo. I. p. 22,21. („de Ennio transtulit“) I. p. 93,7 sq.

Horat. carm. I. 36,8. „actae non alio rege puertiae“ — ‘pueritiae’
Pomp. Porphyr. com. ed. Holder. p. 48,12. Ps. Acron. Schol. in Hor. ed. Keller. I. p. 128,17.

Ovid. met. VIII. 500. „Cis mensum quinque labores“ — ‘mensium’
Prisc. II. p. 353,7.

Lucan. Phars. III. 365. „sic hostes mihi desse“ — ‘deesse’
Luc. com. Bern. ed. Usener. p. 109,22.

Lucan. Phars. VI. 10. „se desse“ — ‘deesse’
Lucan. com. Bern. ed. Usener. p. 190,3.

Iuven. sat. IV. 11.12. „Egregius caenat“ — ‘egregiius’
Prisc. II. p. 88,1 sq.

‘audacter’ — audaciter’
Donat. IV. p. 396,10 sq. Cons. V. p. 388,14. Prisc. III. p. 110.11. Anecd. Helv. CCXXXV. 3.

‘Mnestheus’ — ‘Menestheus’
Cons. V. p. 388,15.

‘oraclum’ — ‘oraculum’
Sacerd. VI. p. 452,8.

‘saecla’ — ‘saecula’
Bed. VII. p. 248,9 sq.

β) syllabae.

Plaut. Menaech. v. 135. „Averti praedam ab hostibus nostrum salute socium“ — ‘nostrorum’, ‘sociorum’
Prisc. II. p. 309,5.

Plaut. Poenul. v. 1062. „meministi tu**um** parentum nomina“ — ‘tuorum’
Prisc. II. p. 309,3.

Plaut. Trin. v. 657. „gloriam maiorum foedarim me**um**“ — ‘meorum’
Prisc. II. p. 309,1.

Enn. scen. 160. (Vahl.[2]) „n**o**mus ambo Ulixem“ — ‘novimus’
Diom. I. p. 387,30 sqq.

Terent. Andr. v. 31. „mea a**r**s“ — ‘*ἀρετή*’
Donat. com. Terent. ed. Wessner. I. p. 50,12 sq. cf. Serv. com. in Verg. Thilo. I. p. 624,24. Serv. com. in Donat. IV. p. 405,2.

Terent. Andr. v. 572. „animum indu**x**ti esse utile“ — ‘induxisti’
Donat. com. Terent. ed. Wessner. I. p. 182,10.

Terent. Adelph. v. 689. „numquid circumspe**xti**? aut numquid tute prospe**xti** tibi“ — circumspexisti’, ‘prospexisti’
Donat. com. Terent. ed. Wessner. II. p. 138,11 sq.

Terent. Heaut. prol. v. 27. „ne plus iniqu**um** possit quam aequ**um** oratio“ — ‘iniquorum’, ‘aequorum’
Prisc. II. p. 308,13.

Terent. Phorm. 101. „comm**o**rat omnis nos“ — ‘commoverat’.
Donat. com. Terent. ed. Wessner. II. p. 376,5 sq. („figura *συγκοπή*“). Donat. IV. p. 396,10. Eugraph. com. ed. Wessner. III. p. 221,29. Cons. V. p. 388,19.

Lucret. I. 1. „Aenead**u**m genetrix“ — ‘Aeneadarum’
Prisc. II. p. 292,19.

Verg. Aen. I. 87. „clamorque vir**um**“ — ‘virorum’
Prisc. II. p. 306,15.

Verg. Aen. I. 119. „arma virum" — 'virorum'
Serv. com. in Verg. ed. Thilo. II. p. 91,7 sqq.
Frg. Bob. V. p. 556,30. p. 558,28.

Verg. Aen. I. 118. „apparent rari nantes" — 'natantes'
Sacerd. VI. p. 448,2. Diom. I. p. 452,26. Cons. V. p. 388,18. Mar. Vict. VI. p. 39,1.

Verg. Aen. I. 201. „Accestis scopulos" — 'accessistis'
Prisc. II. p. 514,20 sq. III. p. 110,17.

Verg. Aen. II. 242. „moenia Dardanidum" — 'Dardanidarum'
Prisc. II. p. 392,20 sq.

Verg. Aen. III. 21. „caelicolum regi" — 'caelicolarum'
Frg. Bob. V. p. 556,24 sq. Prisc. II. p. 292,15.

Verg. Aen. III. 221. „caprigenumque pecus" — 'caprigenarum'
Prisc. II. p. 196,12 sq. p. 292,10.

Verg. Aen. III. 428. „delfinum caudas" — 'delfinorum'
Frg. Bob. V. p. 558,27 sq.

Verg. Aen. III. 476. „cura deum" — 'deorum'
Prisc. II. p. 306,17.

Verg. Aen. III. 550. „Graiugenumque domos" — 'Graiugenarum'
Prisc. II. p. 292,8.

Verg. Aen. III. 704. „magnanimum quondam generator equorum" — 'magnanimorum'
Prisc. II. p. 308,19.

Verg. Aen. VI. 307. „magnanimum heroum" — 'magnanimorum'
Prisc. II. p. 308,21.

